




**Dialectis de novae et prius incognitae stellae inusitatae
magnitudinis & splendidissimi luminis apparitione & de
eiusdem stellae vero loco constituendo. Adiuncta est ibidem
ratio inuestigandae parallaxeos cuiuscunque Phaenomeni,
eu?que a? centro terrae distantia, meteorologicam
doctrinam mirifice? illustrans**

<https://hdl.handle.net/1874/437171>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnde
 - de staartsnde
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)


More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

P. qu.

27



240000
114.





Mathematici et Astronomici

Quarto n°. 27.

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est

¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.


¶ Etiam hoc est


¶ Etiam hoc est


¶ P. 27. Etiam hoc
textus est. Et sic
est etiam finis eius.

¶ Etiam hoc est

¶ Etiam hoc est







N. 99. A.

DIALEXIS
DE NOVAE ET PRI-
VS INCOGNITÆ STELLÆ
IN VSITATÆ MAGNITV DINIS
& splendidissimi luminis apparitione, & de
eiusdem stellæ vero loco constituendo.

*Adiuncta est ibidem ratio inuestigandæ parallaxeos
cuiuscunque Phænomeni, eiisque à centro terræ di-
stantia, Meteorologicam doctrinam mirifice illu-
strans: nunc primum conscripta & edita,*

PER

Thaddæum Hagecium ab Hayck, Aulæ Cæsareæ Maie-
statis Medicum.

*Accesserunt aliorum quoque doctissimorum virorum de eadem
stella scripta: & quadam alia, que versa pagella cognoscet.*



Ex Donacione unius Binde

FRANCOFVRTI AD MOENVM.

M. D. LXXIV.



Notatio eorum quæ huic libro
adiuncta sunt.

*Stellæ nouæ vel nothæ potius, in cælo nuper ex-
ortæ, & adhuc lucentis, Phænomenon descri-
ptum & explicatum, Authore Paulo Fabri-
cio Med. Doct. & Cæsaris Mathematico.*

*Stellæ peregrinæ iam primùm exortæ, & cælo
constanter hærentis, Phænomenon vel obser-
vatum, diuinæ Prouidentiæ vim, & gloriae
Maiestatem abundè concelebrans, per D.
Cornelium Gemmam, Louanij Medicinæ
professorem Regium.*

Ioannes de Monte Regio de Cometa anni 1475.

*Significatio Cometæ, qui anno 1532 apparuit
cum passionibus eius scitu iucundissimis, à Io-
anne Kogelino Haylpronnenſi, Viennensi
Mathematico demonstratis.*



*IMPERATORI OPTIMO MA-
ximiliano 11, Cæsari potentissimo, semper Augusto,
domino suo clementissimo, salutem ac perpetuam felici-
tatem cum suis debitibus obsequijs, optat.*



M N E S qui, Cæsar Clementissime, grauioribus occupati sunt negotiis, vel quieti se dedere, vel iucunditatibus animum recolligere consueuerunt: quando vel negotiorum grauitas, vellaboris molestia ipsos defatigauit. Nō enim ita generatus est homo, vt ludos iocosve tantum quærat: Sed eiusmodi est vniuersi corporis ipsius structura, vt ad seueritatē, negotiāque grauissima, se factum esse, vel inuitus, confiteri cogatur. Quamuis autē omnes natura ad quietem, & recreationem feramur: ybi grauibus seriisque à nobis satis-factum est rebus, tamen in earum delectu, non omnium, vel idem est mos, vel eadem voluntas, vel idem iudicium: alii enim amoenis inambulationibus, alii iucundis quibusdam spectaculis, alii chartarum & aleæ ludo, alii potationibus, alii denique aliis rebus, prout naturæ im-

petus quemque fert ad hæc vel illa , relaxare animos, & dare se iucunditati solent. Ego verò, quoties mihi aliquid temporis superest, à laboribus meę vocationis, id omne (absit iactantia dictis) honestis studiis consecrare confueui: & quoties vnius aliquius, diuturnaque lectionis me cœpit fastidium: id permutatione in aliud genus, aut alia quadam meditatione depellere, & excutere conor. Quemadmodum enim ciborum & obsoniorum varietas, etiam ventre saturo, gulam irritat: ita lectionis varietas & permutatio nouum quoddam desiderium nouisque quosdam motus in animis hominum excitat: ut alter animi labor, prioris veluti quies, & nuae voluptatis perfructio esse videatur. Maximè verò nos afficit repetitio eorum studiorum, quibus aliquando iuuenes eramus dediti: inter quae principem locum sibi vendicant Mathematum disciplinæ: has enim in aliquot docui scholis: & propè solus, si dicendum est, quod verum est, ante annos plus minus xxv, in isto Maiestatis vestre Archigymnasio illam conseruaui: ac meo quantulocunque studio & labore iuui, ut deinceps absque interruptione, in hanc usque diem fuerit cōtinuata. Nam cum essem unicus auditor clariss. viri D. Andreæ Perlachii, anno propemodum integro, relictus: & alii, qui eum tum temporis unā mecum audiebant, vel vita decessissent, vel aliò studiorum causa commigrassent, inter quos fuit Georgius Drascouitius, nunc Reue-

rendiss. Episcopus Zagrabiensis, &c. quem hono-
ris, & meæ perpetuæ erga illum obseruantiaæ causa
nomino: sed & mihi inde aliò commigrandum ef-
fe Medicinæ causæ, sciebam: cui me iam tum addi-
cere incipiebam, audiendo professores vñ artis ce-
leberrimos, Franciscum Emericum, & Wolfgangū
Lazium, & alios: ne tamen Mathematum studium
penitus conticesceret in ista vrbe, ac Lycæum red-
deretur surdum, priuatim docui in Bursa Agni di-
cta: & præparabam animos plurium excitabamq;
vt essent idonei ad audiendum Perlachium: cuius,
vt dixi, vnicus eram in Mathematicis, relictus au-
ditor. Nec infeliciter cesserat ille meus labor: vt qui,
me deinceps hinc abeūte, quinq; ipsi reliquerint au-
ditores. Excolui igitur iuuenis Mathematū studia
qua poteram diligentia: in grauiore etiam ætate ab
eis abhorrebam nunquam: tamen & Medicum stu-
dium, & vitæ ratio præfens me, tametsi inuitum,
eadem deserere coëgit iam per annos plurimos.

Nunc verò dum insolens hoc nouum sidus aspecta-
rem, ac mirificam Dei prouidentiam in eo tacitus
mecum expenderem: & de eo interea variae vario-
rum prodirent opiniones, quæ & alienæ erant ab
arte Astronomica, & leuiores quam vt pro debito
illustrarēt Dei mirificam prouidentiam: studiosius,
quatenus scientia Astronomiæ suppeditabat, cogi-
tare, & dudum intermissa studia reuocare cœpi: ad
quod etiam excitabar, & amicorum literis & scri-

ptis publicis. Sed me ipsum quoque stimulabat sta-
tus præsentis temporis turbulentissimus, ac futuri
non vana cogitatio: denique illi ipsi euentus inter
quos iam nunc videmur consistere ob causas quæ
præcesserunt, ac videbar non modò mirificè recre-
are animum meum istis meditationibus: verum e-
tiam ad patientiam comparare, consolationibus fir-
mare, ad spem vitæ æternæ erigere, atque in eius me-
ditatione retinere. Et quamuis non ea me præstare
videbam quæ fieri debuerant in eiusmodi opinio-
num controuersia: tamen quia mediocrem in ob-
seruationibus adhibui diligentiam, iucundum mi-
hi visum est, quòd vel hac occasione licuerit mihi
adhuc studia iuuentutis repetere. Iam verò prope-
modum absolueram meum laborem, quando pro-
dibat scriptum eruditissimum de ea Stella, Cornelii
Gemmæ, quod meo iudicio verè Gemmeum est, si
aliis conferatur, siue grauitatem dictionis, siue a-
cumen ingenii quis spectare velit. Paulo pòst etiam
prodidit aliud scriptum Hieronymi Munozii Hi-
spani, suæ gentis idiomate: illud quoque eruditum
& elegans: ac à meo sensu & cogitatis haud ita mul-
tùm discrepans: imò in plerisque idem veritatis pù-
ctum mecum feriens, quod ex eodem veritatis fon-
te deprompta essent, cùm & temporibus diuersis &
locis magno interuallo disiunctis, vterque eidem rei
explorandæ incumberemus. Etsi autem horum do-
ctissimorum virorum scripta crediderim doctis fa-

tis facere posse, quod genium habere videantur, & propterea victura esse: tamen cum a me quoq; quedam pleni⁹ essent pertractata: si ea a me protrudere⁹ tur, adiunctis aliorum eruditorum virorum scriptis qui a nostris cogitationibus non dissiderent, ad adstruendam veritatem plurimum momenti apud posteritatem allatura esse existimau. Nam consensus in doctrina veritatis, argumentum est probabile, non tamen necessarium. Longè plures tamen sunt, qui non modò a me, sed etiam ab his clarissimis thematicis, vehementer dissentient: quorum opiniones necessariò mihi erant refutandæ: non tamen studio cōtradicēdi id factum est a me: sed communi omnib⁹ studiosis philosophia e iure ea protuli ab omnibus doctissimis viris iudicada, quæ non nisi ipso rum opera plana esse possunt. Hunc autem meum laborem tuæ maiestati, Cæsar potentissime, inscribere volui, & gratum tibi, acceptumque futurum omnino confido. Cum enim me tibi Deus & natura subdiderit, ac insuper etiam seruum eiusdem, indignum illum quidem, & Medicum suæ aulae esse voluerit: quid esse, queso, potest in me, quod merito tua Maiestas, sibi vendicare nō debeat, vel non posfit? aut vicissim quod ego non agnoscam tuæ Maiestati addictum esse, tuisque seruire vtilitatibus debere? Non enim mea omnia tantum, sed magis me ipsum ei debeo. Hoc nomine igitur nostri otii & studiorum istum tenuem fructum tuæ Maiestati

deuoueo & dedico: quem vt clementer tua Maiestas accipiat, cum omni animi submissione rogo & obsecro. Dominus Rex Regum cum Filio suo coæterno Domino nostro I E S V C H R I S T O & Spiritu Sancto, te nouis in hisce afflictissimis temporibus, diu florentem & incolumente tueatur ac conferuet, thronum tuum Iustitia stabilitat, solium equitate, liberet ab hostibus professis & clandestinis, ac impendentibus malis, det pacem, & largiatur salutaria consilia, plurimos Zopyros, quos Darius desiderabat, totidem etiam Crateros poti' quam Hephaestiones, quorum Alexander Magnus ille, hunc philalexandrum, illum verò philobasilea vocare apud amicos solebat: non obscurè ostendens, quantum adulator à fideli consiliario differat. Verè enim de temporibus hisce dici posse videtur illud versibus antiquis expressum: Annis mille iam perfectis, Nulla fides est in pactis, Mel in ore, verba latetis, Fel in corde, fraus in factis. Cum his me tuæ Maiestatis patrocinio & tutelæ commendo. Vien næ Austriae ex Musæo nostro, die 4. Martii, Anno Domini 1574.

*Tuæ Maiestatis obsequentijs.
Thaddæus ab Hayck.*

9



JOHANNES CRATO DE
CRAFFTHEIM, CÆSARIS AR-
chiatros, Thaddæo Hagecio ab Hayck,
S.

NO STI illud quod M. Cicero θεωδη-
σιοδειον appellat, μηδὲ δικλω διγέστης, ταπιν
άμφοιν μῆδον ακρύστης. Ego vero affirmare possum non esse neque fuisse mihi tan-
tum otij à Medicis occupationibus, ut le-
gere ea scripta, quæ de Stella illa, ut ap-
pellant, noua, diuulgata sunt, & tuum magis, ut ij qui ar-
tificibus fidem adhibent, quam suum iudicium interpone-
re solent, inspexisse. Quod autem ad Stellam illam τεχ-
τωδην, seu Cometam ἀτεργάδην attinet, exciderunt mihi
inter occupationes omnia, quæ (cùm appareret) de accura-
tissimis obseruationibus D. Pauli Heinckelij consulis Augu-
stani, quas ad me frater illius D. Iohannes Baptista Hein-
celius miserat, cogitaueram: & illa ipsa quæ accepi à D.
Heinckelio, iam inter tot meas chartas, ad quas nouas quo-
tidie accumulo, nusquam reperio. Existimauit autem & e-
tiamnum sum in ista sententia, cùm cæperit atque euanue-
rit, exhalationem fuisse ex materia pingui, crassa, calida,
atque sicca, quæ incendi ac inflammari potuerit: & Come-
tae illius qui anno M. D. LVI. defligravit, ac in Libra in-
census versus polum Zodiaci ascendit, & ad Asterismum

B

Cassiopeæ peruenit, quasi reliquias. Sed cùm tu per paralaxin probes longius ipsa Luna à terra hunc, quem superiore anno vidimus, abfuisse: & ego, si quidem demonstrationū vera sunt fundamenta, eas impugnare non didicerim, libeter do locum meliori iudicio, & me hoc quod nescio nescire fateor. Piè illa quæ de stella Magis ostensa afferuntur, dici fateor. Sed non tam his ostentis quam diuini manti-
ti & pœnæ grauitate noster torpor excitandus erat. In-
geniosa autem sunt quorundam commenta magis, quam
probanda, qui extincti animam ad polum lucere scripserūt.
Ea ex Dione sumpta arbitror. Is enim de Hadriano Im-
peratore, cuius etate eiusmodi stella in cælo fulsit, refert. Ei
ad nescio quas artes Magicas, in quarum tractatione fuit
nimius atque immodicus, opus fuisse humana victimæ. Ad
eam cùm se Antinous, quem in delitijs habebat, obtulisset,
& voluntariam mortem oppetisset, conspectam deinceps
eiusmodi stellam, quam Hadrianus Antinoi animam di-
cere solebat. Sed quem non virtutis egentem abstulit atra
dies, is per vim occisus est. Nec ut Antinoo simulachrum
vel statua illi collocata, sed ès xiphus, ac potius ès xiphus
raptus. Verum & huic per orbem monumenta fiunt, non
minus firma quam quibus Antinoum Hadrianus celebra-
re studuit. Sed hæc mittamus. Tuo vero scripto & tibi-
onia felicia opto.



EX EPISTOLA HIERONYMI

*Munnozij Valentiani, Hebrææ lingua & Mathema-
tum in Academia Valentiana professoris publici, ad
Bartholomæum Reisacherum.*

EXISTIMO D. Thaddæum ab Hayck decreuisse in lucem edere aliam exactiorem, & copiosiorem commentationem de Stella. Obscro itaque te, ut illum meo nomine salutes, exhorterisque ut ab incœpto non desistat, memor illius sententiæ Solomonis: Tu quodcunque potes facere, instanter operare: quia tempus & occasio deest descendantibus ad inferos. Ingenium enim & acrimonia (velut ex vnguis Leo) mihi nota est. Nec minus obscro, ut incœptum de parallaxibus opus absoluat. Hoc enim videtur ab antiquis Mathematicis aliqua ex parte tractatum: sed ad Colophonem, quod dicis let, non est perductum.




HISTORIA STELLÆ NOVÆ,
APPARENTIS IN ASTERISMO
Cassiopeæ. Cap. i.

LUXIT sidus quoddam iubare
splendido, rutilantiq; in imagine Cassiopeæ: maius augustinusque quam ulla inerrantium, quæ primi honoris esse dicuntur: cuius magnitudo tamen, siue cum ipso Ioue & Marte, siue cum Arcturo, aut Canicula comparari posset: cœpitq; fulgere sub initium Nouembris anni 72: quamquam non desint qui illud circa medium Octobris se vidisse testentur: verum à me non prius quam ante solennem Natiuitatis D. ac Salvatoris nostri memoriam conspectum est. Mensibus ad summum quatuor & amplius, veluti fax quædam fulsit: inuariato imminutoque lucis ac luminis sui splendore & maiestate: tandem paulatim cœpit diminui, ac rutilum suum colorem in pallidiorem conuertere videbatur: ut mense Maio anni 73. quo hæc scribendo recognoscemus, propemodum ex æqua ueritatem se reliquis in eadem imagine stellis: ac non nisi ab his, qui ipsum sèpius anta contemplati sunt, dignosci potuerit. Constituebat figuram quadrilateram anormem, hoc

est, inæqualium laterum, quæ à Græcis TrapeZion vocatur, cum tribus insignioribus ipsius Cassiopeæ stellis: ex quibus prima in pectore seu dorso, & numero secunda: Altera super cathedra ad coxas, numero quarta, tertia in medio ascensu cathedræ, numero duodecima, collocantur: omnésque tertiae magnitudinis esse statuuntur. Productæ ab his rectæ, à noua in secundam, & rursus à quarta in duodecimam, dispe-

scebant totū TrapeZion in duo triangula Scalena, id est inæqualium laterū, ut in subiecta figura apparet. Nā noua stella à quarta, inuenita est, per dimensionem Radij, distitisse part. 4. scrup. si. à duode-



cima, part. 5. scrup. 15. Sed & quartæ à duodecima, per eandem obseruationem, distantia inuenta est, part. 6. scrup. 14: quanta etiam ex calculo esse deprehenditur. Porro ut maior certitudo ac fides haberetur nostris obseruationibus, placuit etiam reliquarum stellarum in ipsa Cassiopea, distantias obseruare, eásque diligentissimè conferre cum illis distantijs quæ ex calculo haberi possunt. Deprehendi autem eas alicubi admodum differentes, quod cùm suspectas

mihi redderet meas obseruationes: eas tandem repetebam, donec certò meas veriores esse cognouissem. Nemo mirabitur tamen istam dissensionem, qui memoria repetet communem & diuturnam illam omnium peritiorum Astronomia querelam de inemendata cœli stellati descriptione.

Quæ enim de hoc hodie habemus, ex Ptolemæo & Alphonso, emendatione egent, ob errores plurimos, qui vitio scriptorum, & diuturnitate temporis paulatim irrepserunt. Nostras igitur hasce obseruatas distantias, pro verioribus assumere non dubitauimus, quām sunt illæ, quæ ex calculo hauriuntur: præsertim cùm earū plurimas cum Doct. Paulo Fabritio, Cæsaris Mathematico, aliquot diebus, communicato studio frequenti iteratione explorauimus. In quo etiam confirmatus sum sententia, & veluti testimonio viri eruditissimi Hieronymi Munnozij Hispani: quod ipsum quoque in suo libello Hispanico idiomate, de hac stella edito, eadem mecum sentire, suāsque quasdam obseruationes ad unguem meis consentire animaduerterem: ubi tamen dissentimus ab inuicem, id lapsu quodam suo, potius quām meo accidisse, ex sequentibus perspicuum fiet. Est enim in obseruationibus valde procline labi, nisi quis omnia diligenter circunspicerit, ac sapienter obseruando rem eandem explorauerit: ut notum est illis, qui aliquando periculum eius rei fecerunt. Lubet autem hic illius obseruationes conferre cum nostris.

Collatio
obserua-
tionū au-
toris cum
obserua-
tionibus
Mūozii.

Ponit Munnozius distantiam nouæ stellæ à duodeci-
ma part. 5. scrup. 10. nos part. 5. scrup. 15. Distantiam no-
uæ à secunda ponit ille part. 7. scrup. 50: nos part. 7. scrup.

47. In his differentia scrup. 5 aut 3 tolerari potest. Sed nouam à quarta remouet ille part. 5. scrup. 20: nos saltē pa. t.
4. scrup. 51. differentia est scrup. 29. Nostram autem obseruationem veriorem esse crebra experientia confirmat,
ad eoque etiam ratio quae sumitur ex consideratione particularium distantiarum in unum collectarum, videlicet no
uae ab undecima, & huius rursus à quarta: quae tres stellæ
cūm non sint in eadem recta linea, seu non cadant in unum
arcum circuli magni (secundum quem illarum interstitia
sumi debent) sed triangulum inter se constituunt: distan
tia nouæ à quarta, secundum breuissimam lineam, seu ar
cum illum circuli magni per eas stellas ductum, minor erit
illa distantia, quae colligetur ex particularibus illis & cur
uis distantijs. Est autem nouæ ab undecima distantia,
part. 1. scrup. 24. Undicimæ verò à quarta part. 3. scrup.
46. quæ simul iuncta faciunt, part. 5. scrup. 10. distantiam
curuam nouæ à quarta. Atqui Munnozius ponit illam
part. 15. scrup. 20. maiorem hac, quæ multo minor esse de
bebat.

Rursum nouæ stellæ à Cynosura ponit intercedinem
part. 26. scrup. 40. cūm à me non maior deprehendi potu
erit part. 25. scrup. 30. Undicimæ verò à Cynosura obser
uata est, part. 26. scrup. 34. licet calculus eandem ostendat
esse part. 25. scrup. 49. Sed non rectè: oportebat enim per
petuò maiorem esse à polari distantiam undicimæ, quam
nouæ: utpote quæ illi semper fuit propinquior, remotior au
tem undicima. Si igitur vera esset nouæ à Cynosura elon
gatio, remotiorem illam esse oportebat ipsa undicima, cui

non modò reclamat obseruatio, sed & ipse oculorum sensus.

Adhæc ponit elongationem secundæ à quartâ partium integrorum s. nos part. 4. scrup. 36. quam veriorem esse illa, nostræ repetitæ considerationes confirmant. In distan-
tia secundæ à duodecima planè conuenimus: & in quartæ à duodecima, unico saltē scrupulo dissidemus. In quibus verò dissentiam à Cornelio Gemma, id facta collatione e- ius obseruationum cum meis facile cognosci poterit. Hec commemorare volui, non tam studio insectandi viros alioqui eruditissimos, diligentissimosque, quām veritatis pa-
tefaciendæ causa: quæ omnibus grata esse debet, & omni authoritate & amicitia potior.

Lapsus isti facile obrepere potuerunt viris alioqui do- ctiß. merentur tamen veniam. Fieri potest ut idem mihi quoque in alijs accidat, in quibus me illorum & aliorum iudicio submitto, & si me de errore commonefecerint, aut etiam redarguerint, illis sum gratiam habiturus: modo sar- ta recta ubique veritas maneat.

De colore huius nostræ stellæ nihil dicam. is enim se- pißimè ob medijs crassioris, vel tenuioris interpositionem, & ob organi visus dispositionem, variari consuevit: quemadmodum etiam scintillatio ob easdem causas, & insuper motum vaporum discurrentium, accidit. Hinc factum est quod alijs pallescere, rutilescere, scintillare, comas diffun- dere videbatur: in quibus visus facile decipitur. Illud ve- rò monstruosum est, quod quidam illam formâ horrida, & cum hastulis quibusdam per corpus ipsius traiectis, calum niosè pingant & fingant: alijs terribilem nominent. Ethni-

cum au-

cum autem & plane delirum est cœlestibus corporibus sen-
tiendi vim, adeoq; affectus attribuere: quòd cultu & ado-
ratione delectentur. Is situs à nobis expositus, & dispositio
huius nouæ stelle ad reliquas apparuit, in eademq; perseue-
ravit menses plurimos. Quanquam autem plurima inue-
niantur circa hoc iubar, quæ meritò in admirationem ho-
mines trahere possunt (ut quòd pluribus mensibus inuaria-
to lumine splenduerit, quòd affixa fuerit uni cœli puncto, à
quo ne latum quidem vnguem recesserit, quòd item exactè
Medium cœli tenuerit cum Coluro æquinoctiorum) tame
hoc quoq; non leue & exiguum censendum est, quòd
primo omnium rudibus & illiteratis homini-
bus innotuerit.

C

Stellarum in imagine Cassiopeæ inter se & ad
Cynosuram obseruatæ distantiaæ,

		G.	M.
<i>Noua stella</i> <i>ab</i>	XI	1	24
	XII	5	15
	II	7	47
	III	7	0
	IV	4	51
	Cynosura	25	30
<i>Vndecima à</i>	II	6	30
	III	5	24
	IV	3	46
	XII	4	45
	Cynosura	26	34
	<i>Secunda à</i>	I	2
III		1	54
IV		4	36
XII		4	55
XI		6	30

Distantia tertiaæ à duodecima inuenta est 5 grad. 16.

		G.	M.
<i>Quarta à</i>	III	3	0
	V	3	36
	VI	7	20
	XII	6	14
	Cynosura	28	35

Distantia quintæ à sexta 4 grad. 53 minut.

Asterismus Cassiopeæ, reductus ad
initium anni 1573.

		Longitudo			Latitudo			Magni tudo.
		S	G	M		G	M	
1	In capite	γ	28	59	s	45	20	4
2	In pectore schedar	γ	1	59	e	46	45	3
3	In cingulo	γ	4	14	p	47	50	4
4	Super Cath. ad coxas	γ	7	49	t	49	0	3
5	Ad genua	γ	11	29	e	45	30	3
6	In crure seu tibia	γ	18	9	n	47	45	3
7	In extreimo pedis	γ	22	49	r	48	20	4
8	In sinistro brachio	γ	5	49	t	44	20	4
9	In sinistro cubito	γ	8	49	o	45	0	5
10	In dextro cubito	γ	25	29	n	50	0	6
11	In sedis pede	γ	6	9	a	52	40	4
12	In ascenſu medio cath.	γ	28	59	l	51	40	3
13	In extreimo.	γ	26	49	s	51	40	6

C 2

IMAGO CASSIOPEÆ.



Recitantur variæ opinions de hac Stella,
eædémque diluuntur. Cap. 2.

VARIÆ opinions sunt sparsæ de hac noua stella publicè æditis libellis, multorumque animi varietate illa opinionum in diuersum adeo distracti, ut insigne hoc prouidentiæ Dei opus penè in despectu abierit. Ego igitur recitatatis aliorum opinionibus, ad singulas respondere, errores reprehendere, & arrogantes quorundam voces retundere sum conatus, non quidem studio contradicendi (à quo mea natura abhorruit semper) sed veritatis inquirendæ & asserendæ causa: & ut multorum bonas mentes falsa persuasione imbutas, ad amplectendam & iusta possessione retinendam veritatis cognitionem adducerem: utque præclarum hoc prouidentiæ Diuinæ munus balbutiendo celebrius redderem, ne id unquam è memoria hominum elaberetur.

Sunt qui hanc Stellam, non nouam, sed veterem, ac à Raimundi opinione primæa rerum origine conditam, adeoque illam ipsam, di opinio refutatur. quæ est numero undecima, in imagine Cassiopeæ esse contendunt: quam opinionem primus omnium sparsit tueriq; aggressus est Hannibal Raimundus Veronensis, ac plurimos sua opinione infatuauit, libello de ea Stella edito: in quo tamen præter nugamenta & ineptias quas affert, omnes alios diuersum sentientes, nimis audacter & presumptuosè erroris arguere non veretur. Rationes igitur sui instituti examinabimus libertate Philosophica. Harum pri-

mam producit ab authoritate, & concordi omnium consensu, quem dum solo verborum crepitu, eoque incondito, incongruo & barbaro, crepat: interea non unicum quidem autorem producit & nominat: nisi omnes illos intelligamus in uno Raimundo absorptos esse, ac unicum Raimundum esse instar omnium.

Hinc ad alteram rationem progreditur, quam sumit à sensu oculorum, quod nimirum appareat eam stellam tam locum & situm tenere in cælo, qualem habet ipsa undecima Cassiopeæ, distaréque à polari perticis sex. Quæ ratio nil probat. Non enim omnia quæ oculorum sensus iudicat esse vera, ratiocinatio & demonstratio vera esse agnoscit. Oculi iudicant Solem esse instar orbiculi parui, cū maior sit terra centies sexages sexies. Mala igitur consecutio. Apparet aspectu eum locum & situm tenere, distaréque à polari stella perticis sex: ergo verum est. Nam non solam intuitionem afferre debuit Raimundus, sed organis Astronomicis diligenter dimetiri stellarum distantias: ostenderéque, eas vel veterum obseruationi congruere, vel ab eisdem discrepare: quorum cum nihil à Raimundo sit factum, facile appareat quām procul à veritatis scopo declinauerit. Sed præter ista, eodem in loco, etiam eo seipsum forex prodit, quām sit egregius Astronomia artifex: quod perticis cælum se dimetiri posse existimat.

Tertiam denique rationem hanc adducere videtur: quod, præter illam undecimam, exceptis quarta & duodecima Cassiopeæ, nulla alia in cælo satis longa distantia detur: eamque iterum solo intuitu comprobare nititur. Ve-

rūm hæc æquè ut priora sunt inania, & à veritate alienissima. Constat enim evidentissimè, præter suam illam undecimam, aliam paulo inferiorem, versus quartam Cassiopeæ dari: quæ et si sub initium ad paritionis nouæ stellæ, quando amplissimo fulgebat lumine, hebetata eius radijs ægrè cōspicci potuit: tamen deinceps decrescente subinde lumine, clare, perspicue & distinctè videbatur, & etiam nunc apparet. Ac quòd illa ipsa sit undecima, tum sui luminis obscuritas (siquidē magnitudinis quartæ esse ponitur) tum distan-
tia à reliquis illustrioribus in Cassiopea stellis, per dimen-
sionem radij, ac etiam per numerationem inuenta, clarissimè confirmant: ut suspicari oporteat, Raimundum aut
luminibus captum fuisse, seu glaucomate obductos habuiss-
e oculos, quando ex fenestrula sui cubiculi intuebatur cœ-
lestes illos ignes, quòd clarissimam lucem tenebras esse in-
dicauerit: aut fortasse mentem ambitione corruptam attu-
isse, quæ non potuit esse capax tanti luminis, admirabilisq;
ostenti, ut illud verè nouum Dei opus esse agnosceret: ac
hinc factum esse, ut maiestate fulgoris oppressus caligauerit ad illud, non secus ac vespertino ad clarissimum lumen
Solis: nec potuerit discernere nouam ab illa quæ in initio
conditi orbis, die quarta, à Deo, cum cæteris in firmamen-
to stellis, creata fuit. Adhuc verò eandem suam rationem
confirmat expositione distantia suæ stellæ à polari stella,
quam ille dicit esse part. 25. scrup. 58. Sed ea confirmatio
non modò est infirma, sed etiam vana & inepta. Nam præ-
terquam quòd eam non accommodet ad obseruatam distan-
di pudenda ignoranciam, est etiam falsò instituta: in quo grandem & pudens-

dam suam ignorantiam prodit: quod stellarum distantias inquirendas esse putet ex illarum declinationibus. An non hic se manifeste prodit, quod ignoret quid sit stellarum declinatio, quid item distantia, & per quem circulum magnum illae inuestigentur? Turpis profecto & fœdanimis est ista ignorantia: sed tanto fœdior, quod stolidæ ambitioni sit coniuncta, quam tamen desino persequi. Quicquid hic maculae veritati pulcherrimæque arti ab hoc nouo Astronomiæ fabricatore aspersum est, id omne tyronibus artis detergendum ac vindicandum relinquo.

Quartam rationem vibrat hanc: Quod nulla alia stella detur, excepta illa undecima, quæ sit inter 4 & 7 gradum Tauri, & habeat declinationem 60. 61. aut 62. graduum: propterea non aliam esse posse quam undecimam. Hæc ratio eadem propemodum est cum priori, & æquè falsa. Nam aliam stellam 1. gradu, 24. scrup. ab undecima distantem iam ostendimus, & nostra obseruatione comprobauimus. Itaque frustra querit Raimundus, inquiens: Si hæc stella noua est, quo se vertent stellæ Cassiopeæ? Frustra etiam petit sibi dari aliam, quæ ab undecima illa paùlo minus duobus gradibus distet.

Quintum argumentum affert ab authoritate Higinij, quod is in suo libro hæc scripsérunt: In quadrato qua stella deformatur in angulis utrisque clarius cæteris lucentes. Ex quibus verbis Raimundus colligit modernum iubar esse ex illarum stellarum numero, quæ in quadrato, qua parte stella constituitur, in utrisq; angulis cæteris clarius effulgent. Sed hunc sensum ego ex verbis Higinij elicere haud possum, neque di-

que diuinare quodnam illud sit quadratum, quóſue angulos intelligat eo loco: *Dauis, fateor, sum, non OEdipus.* Raimundi partes erant disertè accommodare omnia ad pīcturam Cassiopeæ, singulāque diligenter explicare. *Verum sicut in alijs paſſim omnibus, ita hīc quoque Raimundus deceptorem agit, & principium petere videtur.* Sed esto quōd hæc, quæ vult Raimundus, probari possint ex textu Higinij: quod nos haud quaquam concedimus: nunquam tamen adduci poterimus, ut Higinij stellarum designationes anteponamus Ptolemaei ac modernorum descriptionibus. *Est, fateor, antiquus scriptor Higinius: sed antiquitas non debet præiudicare veritati.*

Postremò, concludit suam sentētiā tali ſyllogismo hypothetico. *Si noua stella eandem habet longitudinem, latitudinem, declinationem, & distantiam à reliquis, quam habet vetus illa, & numero undecima: erunt duo corpora in eodem loco: sed non dantur duo corpora in eodem loco.* Ergo noua stella non est, sed vetus.

Non mirum est Raimundum malum esse Logicum, Raimundūm deprehendamus eum ineptum Astronomum. Non enim sicut in assumptione consequens plenè tollitur, ita etiam antecedens: sic igitur conclusio inferenda fuit, Ergo noua stella non habet eandem longitudinem, latitudinem, declinationem, & distantiam cum veteri illa undecima: atque ita eius argumentum pro nostra stabit sententia, ac Raimundus proprio telo confodietur. Possimus etiam ex eodem suo fundamento tale in ipsum contorquere argumentum, eoque ita proſternere, ut resurgere non valeat.

Si non dantur duo corpora in uno loco, noua stella non habebit eandem longitudinem, latitudinem, declinationem, & distantiam cum veteri undecima. Sed non dantur duo corpora uno eodemque loco. Ergo noua stella non habebit eandem longitudinem, latitudinem, declinationem, & distantiam: & per consequens undecima & noua non erunt idem.

Quae deinceps affert Raimundus contra eos qui Cometem hanc stellam esse opinati sunt: & si eo capite veritatis patrocinium susceperebat, tamen adeo iejunè, ineruditè, inefficaciter & inualidè pro ea depugnat, ut nisi pro seipso loqueretur veritas, suis illis ineptis, insulsis & imbellibus rationibus citius adduceretur in discrimen, quam tuta cōfisteret. Nam omnia illa sua munimenta leuicula oppugnatione euerti possint.

Postremò, refutat eos qui nouum planetam esse existimarent, argumento à scintillatione sumpto, quod scintillatio planetis non insit, cum haec maxime scintillare visa sit. Rectè sentit Raimundus non esse planetam: sed inualido argumento id ipsum probat. Quamvis enim scintillationis

Longinquitatis nō est absolute causa: quod etiam Aristotelem non latuisse ex eo appareat, quod cum in 2. lib. de Cælo: (si quidem ipsius genuini sunt) causam scintillationis dixisset esse fixarū longinquitatem, addidit verbum dubitationis i[ps]o. Et videmus Martem multò magis vibrare lumen suum, quam Saturnum: quem constat altiore esse illo. Sed neque omnes firmamenti stellæ crispant suum lumen. Hæc bre-

uiter, pro veritatis assertione, contra Raimundum, dicere oportuit: tametsi plura erant dicenda: sed ea consultò præterimus. Igitur ad aliorum opiniones nos conuertemus.

Eandem cum Raimundo tueri conatur sententiam Cornelii Frangipani argumentis: sed æquè ineptis ac friuolis: in quibus tamen a-
deo immense accissat, ut se Delphicis Sacerdotibus compa-
rare, & Sibyllinis libris sua exæquare non vereatur. Dicit
hanc stellam eandem illam esse undecimam: sed quæ à pri-
stino suo loco in Boream 2. gradibus sit digressa, ac insuper
augmentatam esse lumine. Illud simpliciter recitat, non au-
tem probat: neque ostendit, quomodo eo motu progressam
esse deprehēderit: hoc autem inconsultè ad Lunæ illumina-
tionem accommodat. Nos quidem verum esse agnoscimus
huius nouæ maiorem, quam undecimæ, esse latitudinem:
sed adjicimus hanc ab illa esse differentem, ac solo intuitu
utranque discerni, & dimensione distantiarum, ac accu-
rata animaduersione ad veterum designationem luculen-
ter comprobari posse. Neque quispiam à nobis diuersum
sentiet, cui saltem mediocriter facies Cæli, & Asterismus
Cassiopeæ cognita sunt. Quòd si nulla est inter eas stellas
differentia, necessariò sequeretur aut duas esse in cælo un-
decimas, aut falsum esse Frangipanum. Sed esto, fuerit hæc
stella illa ipsa undecima, ac iuxta mentem Frangipani di-
gressa in Boream ad duos gradus: Fateri mox Frangipanum
oportebit, etiam reliquas stellas fixas, eodem motu pro-
gressi oportuisse: sed hoc falsum & futile est: ergo illud quo-
que. Eat igitur Frangipanus ad opiliones, aut nautas suos

peritiores se in cognitione stellarum, & undecimam sibi ab illis monstrari petat, si nobis fidem adhibere recusauerit. Quod verò de auctiōne luminis prodidit, atque id exemplo illuminationis Lunæ se probare posse existimauit, nimirum quòd stellæ perinde ac illa, lumine augeri possunt: in eo admodum quoque falsus est. In Luna enim propterea augeri videtur lumen: quia proprij luminis habet nihil. At stellæ firmamenti de suo perpetuò lucent: ideo etiam figuram non mutant, sicuti Luna, quæ nobis propinquior, varietatem illuminati sui corporis promptius ostendit. Reliqua quæ pro confirmatione falsæ suæ istius sententiæ de augmento luminis, adducit: ut ex Ouidio de occultatione Electræ, sub eversione Troiæ: item de stella polari, quòd ipsius aspectu priuemur, inde usq; à capta Constantinopoli (quod veluti arcanum quoddam insinuat) penitus nihil huc quadrat, meraque sunt commenta & præstigia, quæ non merentur aliam responsum, quam ut veluti falsissima, reijciantur. Sed neque huc quicquam facit miraculosa illa Solis defēctio in paſſione Domini, aut altera illa in victoria Agathstellæ thoclis de Charthaginensibus. Peregrinum quoq; prorsus quandoque interdiu videantur. est istud, quòd stellæ quandoque interdiu visæ sunt, & solito maiores fulgentioresque. Id nos crebrius accidisse meminimus, & posse accidere quoties lumen Solis dilutius apparet, scimus: ut non sit necesse illud, veluti ostentū quoddam, admirari. Nouimus etiam interdum stellas quasdam luminosiores solito confueuisse apparere: sed ad exiguum tempus, ac illam apparitionem ventorum futurorum signū esse. Verū quid hoc ad præsentis fulgoris perseverantiam

Frangipani
cōmen
ta & præ
stigia.

Cur
quando
que inter
diu vide
antur.

seu durabilitatem? Quod verò interdum Jupiter, Mars, Planetæ
 aut aliis planetarum solito maiores se conspectibus nostris interdum
 offerant, id etiam Astronomia studiosis prodigiosum non solito ma-
 iores appa-
 habetur. Norunt enim tale Phænomenon ad motuum hy- rent.
 potheses, ab artificibus traditas, perpetuò consequi solere,
 ac illud industrie longè antè, non secus ac defectusluminū,
 præuideri posse. Et Andreas Perlachius Medicus & A-
 stronomiae professor ordinarius in Academia Viennensi,
 olim præceptor meus charissimus, in suis Ephemeridibus, Mars info
 quas in annum 1529, & plures alios magno artificio & la litæ ma-
 bore immenso ediderat, disertè in eisdem prædictis fore, gnitudi-
 nis quan-
 vt Mars eo anno solito maior appareret: propterea quòd do appa-
 in opposito Augis Eccentrici & Epicycli versaretur, mul- ruit.
 tisque ignaros cœlestium Phænomenow, nouam & pere-
 grinam stellam, alios Cometam esse arbitraturos: quod fa-
 ctum est, & eventus illam prædictionem confirmauit. Cùm
 enim inusitata magnitudine, & horrendo rubore corpus
 ipsius conspiceretur, nouam & prodigiosam stellam in cœ-
 lo accensam esse, aliqui etiam Cometam exarsisse crede-
 bant, illamque fuisse prænuntiam aduentus Solymani in
 Austriam passim dicebant. Sic etiam anno 1547, pau- Venus in-
 lò ante obitum piissimæ benignissimæque Reginæ Annae, terdiu vi-
 & verè matris Bohemiæ, genitricis potentiss. Imper. Ma-
 ximiliani, vidimus stellam Veneris interdiu, diebus ali-
 liquot continuis. Et anno sequenti, in fine æstatis, aspexi-
 mus stellam Iouis multò maiorem & fulgentiorem solito.
 Hæc & similia, quibus nota sunt, non sunt admirabilia, ne-
 que prodigiosa, ut inde aliquid ominari Reipublicæ quis-

piam curiosus futurorum indagator, ne dicam superstitionis Astrologaster, debeat ac possit. Sunt enim, ut dixi, Phænomena, quæ necessario suos positus in suis orbibus cōsequuntur, & prædicti semper antequam eueniant, possunt. Eiusmodi Phænomena non possunt ullam habere cognationem cum nouis & peregrinis stellis.

Namtur moderni Astrologasti. Nam quis unquam audaculus prædictionem eiusmodi peregrinarum stellarum, quod hæ certò & infallibiliter sint apparituræ, sibi persuaserit? Quid Astrologi de illis scribant non me fugit. Quid item moderni quidam Astrologasti de his fabulentur, nō sum nescius: sed nugentur quicquid volunt, prædicant & comminiscantur magnos euentus, & adpariciones prodigiosas ex menstruis congressibus, & infarciant rudem plebeculam ac curiosos homines suis commentis, ut lubet: ego eos non moror, qui quantum veritatis insit Astrologiae, & quoadusque extendere possit sua pomeria, non ignorem: ac fortassis (absit inuidia dicto) plus tacendo, quam illi ambitione recitando, & Roscios se esse mentiendo, intelligam. Hæc quod dicam, non iactantia, sed iustus Zelus aduersus illos impostores mihi extorsit. Quamquam autem interdum quorundam prædictionibus responderint euentus: tamen id fortuitò potius & coniecturæ prudenti (qui enim bene coniecat, hic optimus vates) quam certæ scientiæ ascribendum censeo. Saturnus enim Marti singulis pene tribus annis conreditur: saepius multò Mars Mercurio copulatur: rarus est etiam annus absque Eclipsibus, & tamen rarissime Cometes & stellæ peregrinæ effulgent. Certè si verae & infallibiles essent causæ illæ, semper eosdem aut simili-

les producerent effectus. Quid hic plurimi comminiscantur de habilitate materiae, ut elabi possint, non volo ea executere, neque tempus est. Sed ad Frangipanum redeo. Is hanc stellam reducit ad coniunctionem proximam Saturni & Martis, veluti illa ab hac profluxerit: ac dicit illum esse formam, ministram & executricem huius coniunctionis: parum memor illius, quod paulò ante concluserat, non nouam, sed veterem stellam esse. Posset quispiam ab eo petere: Si noua non est, sed vetus, cur ex ea comminiscatur tam grandes euentus? Licet autem callidè Vertumnus agat, non potest tamen effugere proprios laqueos, quin se illis implicet. A suis illis nugis & præstigijs ad maiora cursum capessit, ut iam non ineptum modo, sed etiam bene & gnauiter impium se declareret. Nam corruptibilitatem omnium stellarum, solo Ioue excepto, ex eo futuram esse argutatur: quia David Psal. 102. canit: Cæli peribunt, tu autem permanes. Hæc est futilitas (subtilitas dicere nolui) immo plusquam Ethnica impietas Frangipani. Hoccine est specimen Christianismi? Quæ enim Spiritus Sanctus de æternitate Dei, ac Rege æterno per os Davidis vaticinatus est, hic inconsultè, temerariè & impie transfert ad creaturas, adeoque ipsum Iouem. Sic ex flagitio infacinus, & ex facinore in horrendam blasphemiam prolabitur. Hinc rursus ad alias inanitates progreditur, in quibus ita sibi ipsi placet, ut in his solis gloriam suam sitam esse existimare, certoque sibi polliceri videatur, futurum esse, ut eas Tarquinius quispiam veluti olim libros Sibyllinos, trecentis forte Philippeis redempturus sit. Dicit Venetos discessisse à frangipani cœlo

imputat
quod Veneti
dus rupe-
rint,
Frangipa-
nus perdu-
ellonis
reus.

dere volente Cœlo, potuisseque illud præuideri. At cur nō
præuidit? Cur sit tantus est vates, & diuinorum cōsiliorum
conscius, & cui Deorum mentes se aperiunt, (sic enim ipse-
met de se loquitur, ut subtiliter uaticinanti, vel potius fu-
tiliter nuganti, tanto maior adhiberetur fides, & quod oc-
casione sui insomni in cognitionem istius stellæ peruenisset)
patriæ suæ non consuluit, ut sanctio illius fæderis fieret pro-
pitio cœlo, condita sale, fauentibus numinibus ac patronis,
quibus cum tanta pompa & apparatu Persico litatum est:
quibus etiam tantæ supplicationes fusæ sunt? Non cœlum
profectò, sed Frangipanus perduellionis fiet reus, si malum
quod venturum esse sciebat, à patria, suo saltē iudicio,
non auertere conatus est. Certe qui non præstat id quod
potest, perfidiæ aut negligentia indicium præbet: qui vero
id profitetur quod implere non potest, impudentia notam
prodit. Itane astra vim suam in Venetos exercuerunt, ut
prudentia mutari non potuerint? Quam tu hic necessita-
tem Astrorum nobis parturis, Frangipane? Procopius in-
eptè olim cædem Belissarij iussu in Constantianum perpe-
tratam excusans, infatis fuisse dicebat, ut tali morte in-
teriret Constantianus. Tum multò ineptius illo discessionem
illam à fædere, imputas cœlo. Sed neque hanc quoque im-
pudentiam silentio præterire possum, quod productionem
Christianæ classis aduersus Turcam, huic nouæ stellæ ad-
scribat, quæ tamen longè posterior fuit ipso classis appara-
tu, & celebri illa pugnanuali. Oportuit hic iuxta Fran-
gipani philosophiam inuersam, causam posteriorem esse suo
effectu: ac filium patre suo priorem. Cætera que de strage

Frangipa-
ni impu-
dentia.

Luthe-

Lutheranorum, destructioneque ipsorum Legis, morte item cuiusdam Regis intra Decembrem anni 1573, & Ianuarium anni 1574: præterea de conuersione Iudeorum, & mutatione legis Assyriorum & Chaldaeorum, spiritu vano & mendaci vaticinatur: quomodo item applaudat & aduletur nouo suo monarchæ, cui nugas suas suppresso ipsius nomine nobis tamen non incognito, dedicat, ipsumque suis lineamentis depingat, veluti hæc omnia ab hac una stella deducerentur, prudens prætero. Neque enim merentur ullam responcionem, & de his ex re & euentis fiet iudicium, & veritas temporis filia, omnia proferet in lucem, cognosceturque quam verus vates fuerit Frangipanus, quamve vera fuerint illius oracula, ab insomnijs & phantasmatis inchoata: & per vaga, incerta, fabulas, nugas, inanitates deducta, & in iisdem finita. Reliqua que in suo illo discursu, Italico sermone edito, reprehensione digna sunt, minoribus subsellijs relinquimus.

Restat ut etiam illos producam in medium, & cum ipsis decertem, qui prorsus elementarem esse hanc stellam opinantur, ac vere Cometæ nominari, & esse volunt. Et quia rationibus Aristotelicis se tuentur, primum recitabimus brevissimè sententiam Aristotelis, deinde expendemus, an nostra stella sub ea comprehendendi, & ad Cometarum genera reverè referri possit: postremò diluemus illorum rationes.

Duo genera Cometarum in uniuersum ponuntur ab Aristotele: unum globosum, quod comam habet circa se undique in orbem sparsam: alterum, quod in longum porrectum est, & à suo corpore veluti iubam aut barba quan-

Frangipani
ni méda
x vaticiniū.

Diluitur
corum o-
pinio qui
eleméta -
remstellā
esse prodi
derunt, &
Cometen
appella-
runt.

Cometa-
rum gene-
ra duo.

dam demittere videtur: unde & Pogoniæ appellatio illi
indita. Ergo omnia Cometarum genera ex Aristotelis sen-
tentia, à figura sumpta sunt, vel rotunda, vel rectilinea: a-
liæ enim differentiæ, qualescumque illæ tandem ponantur
ab alijs, ut à colore, situ, motu, magnitudine, in illa duo ge-
nera referri possunt. Eorum rursus alij, inquit Aristote-
les, sub aliquo sidere inerrante vel errante accendi viden-
tur: alij per se absque aliquo sidere spectantur. Moueri e-
tiam eos dicit ad motum sui sideris. Horum singula si ex-
pendantur, conferanturq; cum nouo isto sidere: nihil quod

Collatio
Cometa
-
Rum cum
nouo side
re.

illi competere posset, inuenietur. Nam neque comam in or-
bem circum se sparsam, neque in longum porrectam habet:
sed sola rotunditas, qualis aliorum corporum cœlestium cū
summa claritate ac splendore coniuncta, in eo spectatur:
qualia aliâs in apparentibus stellis crinitis exhalatione cali-
da, siccâ pinguique genitis, nunquam leguntur fuisse conse-
cta. Quod vero quidam existimant caudam sursum porri-
gere: qua facilitate id ab illis asseritur, eadem rursus rejec-
tur. Certè audacius illud profertur, quam ut saltem proba-
biliter declarari probarique posset. Nec etiam ratione ul-
la, nec ullis exemplis confirmari potest, Cometas tanta cla-
ritate aliquando falsisse. Ardent quidem illi, ut opinatur
Aristoteles, in materia viscosa & pingui. Sed ea flamma
aut admodum est obscura, aut nulla, aut saltem qualis car-
bonum accensorum, neque unquam eo fulgore luciditati
stellarum comparari possunt, quemadmodum hoc quoque
nostrum sidus tanta maiestate splenduit, quanto ipsum Io-
uem aut Phosphorum aliquando intueri licuit. Adde quod

cum omnes ferè crinita hactenus, præter primum illum motum, alio peculiari quodam motu, sui sideris motum sequendo, ferri visæ sunt, aut (ut videtur etiam velle Aristoteles) solo ductu & tractu ipsius materiæ viscosæ, per quam ipsa flamma serpere, & sibi quasi peculiare iter, pabulo allecta, facere consuevit, prærepere visæ sunt: hoc nostrum sidus, nullo eiusmodi motu, plurimis mensibus, & ad hunc usque diem, motum esse deprehensum est: sed cælo affixum perpetuò unum & eūdem locum & situm seruanit, seruante etiamnum: quod fieri tanto tempore haud quaquam posse, si ex exhalatione ortum fuisset, ipsa ratio euidentissime docet. Nam quomodo tam diu materia illa exhalationum durare, & pabulum eiusmodi flammæ esse posset? quomodo item materia illa seu pabulum, concipiendæ flammæ idoneum, in unum illum cæli punctum, in tanta copia potuit deferri, ac in uno eodemque centro figi, ibique solum flagrare, ut non latius se diffuderit, aut non saltem aliquantulo spatio secundum species (ut vulgo vocant) motus, ante, retro, dextrorum, vel sinistrorum se promouerit? Certè elementorum partibus innatum est vagari, & hoc illucque agitari, & nullam certam sedem fixam seruare. Quomodo item pabulum illud uniuersum iam diu consumptum non est? Præterea quomodo perpetua velocissimâque cæli vertigine, qua ignem & aerem unâ secum violentissimè rapit, materia illa non penitus dissipata disiectaque est? Qui bus enim vis vel impetus infertur, dissolui necesse est, ac diu subsistere nequeunt. Denique, quomodo in tanta perniciitate motus, & longitudine distantiae à terra, ipsa materia

surgum in eundem aeris locum, in quo concretio facta est, deferri potuit? cum antequam noua illa materia, seu nouum fomentum sua latione pristinum locum aeris attingat, is in alium iam, motu primo, sit abruptus locum. Neque enim latio exhalationis surgum respondere potest conuersioni in orbem supremi aeris. Quare neque natura, ipsaque rei essentia, neque ea quae ipsis adiuncta sunt, ipsamque necessariò comitantur, declarare possunt, hoc sidus, iuxta placita Aristotelis, Cometen appellari posse, nisi quis ~~etiam~~ omne nouum & insolens sidus Cometen nominari vellet, in quocunque loco id fuerit.

Porrò diluamus adhuc alias rationes illorum, qui elementare hoc sidus esse statuunt. Dicunt illi: *Nova hæc stella est, & nunc demum emersit. Item, paulatim diminuitur ac decrescit, futurumque est ut penitus evanescat: quæ mutatione materiæ elementari & caducæ propria est, à cœlestibus verò illis purissimis perfectissimisque corporibus prorsus alienissima. Absurdum etiam videri in cælo illam collocare: cum cælum nullas peregrinas impressiones recipiat: cum nulla ibi sit affectio eiusdem generis cum his affectionibus, quæ in elementari regione fiunt (differunt enim per corruptibile & incorruptibile) nulla item affectio contrariorum. Quare eorum quæ oriuntur & intereunt, non cœlestis illud palatum, sed elementarium rerum domicilium illis assignandum esse. Hæc quidem illi ex Philosophia ita arguantur, & rectè quidem, secundum opinabilem veritatem. Postremò etiam Theologicum vibrant argumentum, inquietentes: Indignum & temerarium videri homini Christiani-*

no afferere nouas stellas in firmamento creari diuinitus: & operi unde quaque absolutissimo, subinde aliquid adiici, & veluti recognosci: imò iniuriosum nimis, adeoq; impium in summum illum Opificem esse ita sentire. Scripturam enim disertè loqui, omnes res à Deo conditas, esse valde bonas: deinde quieuisse Deum ab opere, hoc est, nullas nouas species amplius post creationem uniuersi huius theatri condere voluisse. Proinde dicere hanc stellam in cælo conditam & collocatam esse, est in crimen læsa maiestatis Diuinæ incurrere.

Ad has rationes omnes ego quidem ita respondeo, ac primum ad primam. Dico non sequi necessario, ideo elementarem esse, quia noua sit: fieri enim potest ut sit ibi vel alibi, prout Diuinæ voluntati placuerit. Si enim stella illa, quæ nato Christo Magis illuxit, in elementari regione fuit, adeoque terræ propinquissima, ut etiam ipsum locum hospitijs, ubi Christus æternus ille Rex, nasci dignatus est, mostraret: cur amplius hæstare volumus, & ratiunculis Philosophicis agitari, an in ipso cælo similia contingere sit posibile?

Quod verò consumptionem illius & euanescentiam obijciunt, eamque subinde urgent & inculcant, quærentes causam suæ diminutionis: quam quoniam ægrè ex Peripatetica doctrina afferre possumus, quæ illis satisfaciat: inde inferunt, & intempestiue nimis, imò vanè penitus triumphant hanc stellam Cometen ac elementarem esse oportere. Ego verò simpliciter respondeo, nos hic à Philosophicâ schola prouocare ad Christianam, ibique decisionem to-

Causæ
sumptio-
nis & eu-
anescentiæ
nouiſide-
ris excuti-
untur.

tius huius controuersiae petere. Nam sicut diminutio magnitudinis corporis stellæ nos torquet, ita vicissim durabilitas ac diurna illa perseverantia illos mirificè exagitat, ac doctrinæ illorum Meteorologicæ nō leuem maculam inurit, ut velint nolint, tandem eò quoque quò nos, recurrent, & ad eundem Iudicem prouocent. Sed de his plura sub finem huius libelli. Sunt qui causam diminutionis ipsius magnitudinis referant non ad consumptionem materiae, sed ad motum quendam rectum, secundum quem stella nunc altior, nunc humilior apparere posse: quomodo in planetis fieri videmus: qui cùm versantur in Apogeo sui circuli, longissime distant à terra, ideo minimi conspiciuntur: quando verò sunt in Perigeo, tunc sunt terræ vicinissimi, & maximi apparent. Sed ratio ista est admodum infirma, quounque in loco statuatur stella, siue in elementari siue in æthereo orbe. Ac primum esto, stella hæc fuerit in elementari regione, & quidem in ea parte aeris, ubi crinitæ stellæ, iuxta Peripateticorum sententiam, generantur: ac ascenderit ea sursum à suo pristino loco vel usque ad ipsum concavum orbis Lunæ: hinc consequitur necessario, altioris & humilioris nouæ stellæ à reliquis firmamenti stellis inæquales fore distantias: ac maiores quidem humilioris, minores altioris. At qui id nunquam deprehensum est: sed perpetuò nouum hoc sidus eandem seruauit distantiam ad polum & Cassiopeæ stellas. Sunt præterea alij qui causam amplitudinis & diminutionis huius stellæ referri posse existimant ad medium, hoc est, diaphanos vapores, qui interponuntur inter aspectum nostrum & stellam: quomodo sa-

pius accidere videmus Soli & Lunæ: item denario in fundo vasis aqua repleto, quæ non offeruntur visui ea magnitudine, qua verè sunt, ut ex Opticis notum est. Verùm et si de Sole, Luna, alijsque sideribus, potissimum circa horizontem, vel etiam interdum in alijs cœli regionibus id ipsum libenter conesserimus: tamen ut id nostræ stellæ æquè accommodari possit, constanter negamus. Nam medium illud, siue sit vapor aliquis siue nubes, per quod ipsam stellam intuemur: tametsi multiplicet radios visuos, ut res ipsa maior appareat: tamen illud ipsum medium ex natura sua diu permanens esse nequit: sed vel dispellitur vel cōvertitur in pluiam, rorem, ventos, penitusque evanescit, ut est perennis & perpetua talium exhalationum generatio & conuersio. Vnde medio illo sublato, res ipsæ statim minores apparent. Adde quòd mediū illius interpositio non ubique locorum uno & eodem modo contingit, ut notum est, ob diuersum regionum & locorum situm. Hinc fit ut quando hic est serenitas, alibi pluiae & grandines tempestatesque irruant. Quæ mobrem cùm hoc sidus in pluribus regionibus & multum à se inuicem distantibus, adeoq; iam per plurimos mēses sub eadem forma, splendore & magnitudine fuerit conspectum, non poterit hic alicuius mediū interpositio ullum habere locum. Sed neque ab alimento quodam eam maiorem turgidi remque factam esse dicere possumus, nisi velimus approbare deliria Epicureorum, afferentium stellas omnes vapore è terris in sublime eleuato tanquam pabulo to. humectari & nutrirī, aut item sequi sententiam Cleanthis, quæ habetur lib. 2. de nat. deorum, apud Ciceronem,

Stellæ nō
nutriātur

vlo alime

ubigraniter contendit Solem & sidera reliqua ignea esse, eaq; alimentum ex Oceano petere, indeque sustentari, nō aliter quam ignis noster lignis fuetur. Certè si stellæ alimento utuntur, etiam excrementis abundabunt, à quibus quoties se exonerarent, toties horribili eluione hunc mundum defœdarent, ac penitus obruerent. Iam verò statuatur sidus nostrum fuisse in ætherea regione, ac ascendisse, uti dictū est, quomodo planetæ in suis orbibus: dico, hoc exemplo nihil penitus posse probari. Nam planetæ ascendunt & descendunt in suis orbibus motu proprio quem habent ab occasu in ortum. Si probauerint modernam stellam tali aliquo motu motam fuisse, facile concessero causam diminutionis stellæ talem ascensum & descensum fieri potuisse. At constat multiplici experientia, & aliorum eruditorum virorum unanimi consensu, nullo alio motu præter primo illo, motam esse: fixam hæsisse uno & eodem cœli pucto, interea tamen decreuisse. Quare neque ascensus aut descensus, causa esse potest magnitudinis vel paruitatis huius sideris.

Cœlum Quod verò dicunt cœlum non suscipere ullam peregrinationes impressiones, Respondeo, id me libenter concedere, cum grinasim pere autem hanc thesim in proposito negotio applicari ad pressiones quo- hypothesim. Hactenus enim nondum probatum est euidenti modo in rationibus, sidus nostrum esse elementare. Possum etiam itare respondere, assentiri me cœlum non suscipere ullam peregrinam impressionem, videlicet ab ullo ente naturali: propterea quod in eo nulla sit potentia contradictionis, respectu alicuius entis naturalis. Verum collatione cœli facta ad suum Creatorem, à quo cœpit esse, quod prius non erat

non erat: fieri posse ut in cælo sit potentia contradictionis ad esse & nō esse: imo nō modo respectu sui esse hanc in ipso contradictionem esse dico, sed etiam respectu cuiuscunq; impressionis, quam sibi vellet imprimere creator: ut quod Iosuæ tempore solem stare fecit, Ezechiae retrocedere. Sicut enim potentia actiua semper eadem est in summo rerum opifice, ita viciſſim potentia passiua eadem manet in ipso cœlo. Vel breuius dico, Cœlum nō suscipere peregrinas impressiones, posse autem suscipere aliquam qualitatem seu dispositionem, seu nouam quandam impressionem lucis, quæ habeat propriam hypostasim, causam autem naturalem nullā, & ideo ipsi cœlo non erit peregrina. Ad Theologicū illud argumentum respondeo, Agnoscere me verum esse illud, Deū non creare amplius nouas species in natura, cuius materia vel similitudo non præcesserit ad operis sui perfectiōnem. Est enim fabrica mundi huius absolutissima, cui ad meliorem perfectionem & ornatum nihil prorsus addi posse humano iudicio profiteor. Interea tamen affero, Deum, cū sit agens liberrimum, non cohiberi quin amplius agat in terram & commonefactionem nostri, siue in æthereo, siue in elementari orbe. Edebat iam olim, edit nunc, & edet deinceps miracula. Diuīsum erat mare Rubrum, ut contra aquæ naturā (quæ fluxilis est, & proprio termino claudi nequit) staret instar muri utrinque. Cursus solis repressus est, & multa alia. Ac de omnibus huiusmodi insolitis eventibus Scriptura testatur, ut quando dicit, Super hoc turbabo cœlum. Et in Euangelio: Erunt signa in Sole & Luna. Et iterum: Dabo signa in Cœlo sursum & prodigia in terra deor-

sum. Cum igitur dicit scriptura, Deum qui eiusse ab opere, intelligendum esse dico quietem seu cessationem illam esse à creatione nouarum specierum pro absolutione & ornatu ædificij istius: non vero quod amplius contra communem naturæ cursum agere desinat. Prodijt etiam quidam mirè impudens tenebrio & præstigiator, qui hanc stellam in collo Cassiopeæ accensam fuisse asseuerat, ac inde progressam ad humerum dextrum eiusdem, inter secundam & vi cesimam primam stellam confecisse dierum 53 curriculo 19 scrupula prima, 6 secunda, & 1 tertium scrupulum. Hæc tam aliena sunt à veritate, ut nulla alia responsione egeant, nisi ut veluti mera phantasmatu, nugæ & præstigiæ, quibus ubique redundat, reiiciantur. Nam quod nugator ille motum stellæ usque ad tertia scrupula deducit, veluti accuratè & exquisitè obseruatum, purum putum est commentum, & fædissima impostura. Quod vero 21 stellam imaginis Cassiopeæ adnumerat, ac nouam hanc in collo eiusdem collocat, plagiis castigandam inscitiam atq; etiam malitiam censemus. Neque enim in imagine Cassiopeæulla numeratur 21 stella, utpote quæ nunquam pluribus quam 13 fuerit insignita stellis. Neque vero in collo consedit, sed apud posteriorem verendam corporis partem firma & fixa persistit: ut ibidem etiam evanuerit. Fortassis autem ille ardelio aut religione quadam ductus abhorruit turpe vocabulum, licet illud Italicum magis quam Latinum: maluitque id per paronomasiam quandam mutata litera v in o, & adiecta altera l, potius honesta quam vera appellatio ne exprimere. Aut forsitan falsa imagine multiplicationis

stellarum in Cassiopea, & metamorphosis vilioris membra in nobilioris, in mente concepta, delusus est. Quomodo alias in Chrysopœa arte, quam profitetur, eandem deceptionem sœpè illi usu venisse haud dubia fide accepimus: quando transmutationem plumbi in aurum, eiusdemque multiplicationem, cum magna multorum pernicie professus est, & impudenter quibusdam persuasit se à summo Christianæ Republicæ Principe stipendio conductum. Hinc prudentes aestimatores, non iam ex unguibus, ut dicitur, Leonem, sed ex tota pelle, & uniuerso corporis habitu integram huius metamorpheutici naturam facillime cognoscerent.

Postremò non defuerunt, qui huic stellæ motum quendam versus Boream, alii titubationis, utrumque illis ipsis ignotum, adscribebant: sed verius est omnibus illis mentem titubasse. Et quia motum illum non explicant, eo ipso persuadent nullum esse. Haec fuerunt opiniones de hac stella, quas non modo recitauimus, sed etiam pro mediocritate nostra diluimus. Vnde palam esse potest hanc stellam non esse undecimam Cassiopeæ, neque ullam ex stellis fixis, aut planetis, neque elementarem esse, neque cometen rectè appellari posse. Restat ut in sequenti capite nostram de ea stella exponamus sententiam.

Quod hæc stella penitus noua & præternaturæ ordinem in æthere posita sit.

Cap. 3.



Iluimus omnes, ut arbitror, rationes eorum, qui hanc stellam ex ijs quæ in firmamento à summo opifice conditæ sunt, esse asserebant, item eorum qui Cometæ in regione elementari accensum opinabantur. Quanquam autem ex his nō obscurè cognosci potuit quid tandem nos de hac stella censemus, tamen peculiari capite id ipsum disertè exponere, & breuiter, veluti uno fasce complecti voluimus. Nouum igitur, & præter naturæ ordinem, à Deo in ipso aethere, sub asterismo Cassiopeæ, hoc iubar collocatum esse, sufficien-
tissimè euinci posse existimauerim, quòd neque veteribus il- lis diligentissimis astrorum inuestigatoribus, neque recen-
tioribus, denique neque illis, qui nostra ætate vixerunt, vel etiamnum viuunt, quique conuerterunt oculos, ac conuer-
tunt ad contemplationem siderum cœlestium, & de his mo-
numeta viua nobis reliquerunt, cognita fuerit, sed nūc pri-
mùm obseruatione deprehensa. Certè si vetus & à primæ
a stellarum creatione hæc quoque fuisse, fieri haudqua-
quam potuit, ut eam tanti artifices silentio præteriissent, ut
quæ tanto suo splendore, & lucis maiestate omnium oculos
præ omnibus aliis in imagine Cassiopeæ stellis, ad se conuer-
tere debuisset: maximè verò cum aliarum ibidem stellarum
adeoque in eodem propemodum, aut saltē vicino illis loco,
quo hæc noua conspecta est, alterius cuiusdam stellulae, quæ
numero undecima in eadem imagine ponitur, accuratam
descriptionem ab illis accepimus. Qui ergo fieri potuisset,
ut tantam facem præterire potuerint, quæ non modo primi

honoris stellas, verū etiam ipsas errantes, magnitudine, coruscantique suo lumine longè præcellebat? Deinde ipsa species, figura, magnitudo, puritas luminis, duratio, quibus à reliquis discernitur stellis, nouā prorsus & peculiarē quā dā naturā manifestè arguunt. Sed & diminutio ac manifesta euangelia illius, eandem nouitatem certissimè confirmat: ac insuper quòd huius cum illis æternis cœli ignibus nō sit eadem essentia. Illi enim inde usque ab initio suæ creationis hactenus invariato imminutoque lucis & splendoris sui lumine splenduerunt: hoc verò sidus sicut nuper effulgit; ita viciſſim paulatim consumitur & euangescit. Non tamē ob id statim quispiam intulerit, illud ad elementarem regōnem referendum esse. Huic enim reclamat durabilitas, lumenis puritas, cum quadam admiranda maiestate coniuncta: deniq; æquabilis & uniformis illius cum primo illo motu circumgyratio, quæ aliás propria est omnibus corporibus cœlestibus: licet Aristoteles etiam supremum aerem orbi Lunæ contiguum, eodem motu conuerti existimet: quod haud abs re dubium est apud me. In ea circumactione nouæ stelle non est unquam deprehensum, ut à loco suo quaqua versum prorep̄fisset, quod alias elementis ac illorū partibus, aliisque naturis ex illis prognatis innatum est, ut videlicet nulla certa sede fixæ maneant, sed vago & incerto motu agitentur, quorum nihil accidisse nostro sideri, cuique palam esse potuit. Huc accedit scintillatio: quæ enim in æthere sunt, eorum plurima scintillant, ut sunt stellæ firmamenti, & quidam planetæ. In elementari vero nihil scintillare potest. Nostrum igitur sidus quoniam crispare lumen

suum visum est, eo ipso etiam confirmatur locum ipsius & sedem ad ætheream, non autem elementarem regionem referendum esse. Sed de loco ipsius, supra an infra Solem statuendum sit, ex parallaxi certissimè iudicabitur: de qua inferius agemus. Et quia loci cognitio ad notitiam ipsius substantiae plurimum facere videtur, censemur etiam hoc studius materiae esse cœlestis, non elementaris.

Quòd cometæ & stellæ secundæ tam in ætherea quam elementari regione generari possint. Cap. 4.

TS I scriptores omnes stellas secundas & nouiter apparentes, nomine cometarum appellauerint, quos ex exhalatione calida & sicca pinguique, in elementari regione generari existimarunt: propterea quòd ex Aristotelis recepta sententia, in ætherea regione nulla generatio corruptiōque dari posuit, sintq; inibi omnia corpora pura & simplicia, nulli alterationi obnoxia: tamen an omnes illæ nouæ stellæ, quarum sub cometarum nomine mentio apud scriptores habetur, ac interdum etiam (populariter loquendo) stellæ nominantur, in regione elementari, ex materia illa pingui nascantur, & accendantur, adeoque omnes elementares dunt taxat fiunt, dubitari potest. Fuerunt enim quidam Philosophi, ut Anaxagoras & Democritus, qui existimarunt cometas cœlestes esse, & à cœlesti materia genitos, haud dubiè pro-

pterea quòd tales quandoque in ipso æthere deprehendis-
sent. Sed Aristoteles, qui omnia rationibus ex natura hu-
mano ingenio erutis fulcire conatus est, sententiam illorum
suo quodam more, euertit. Fieri autem potest ut utriusque
sint decepti, propterea quòd de his absolute pronuntiaue-
rint. Nam etiam Galenus testatur hanc potissimum in ar-
tibus & scientijs fieri errorum causam, quando ea quæ se-
mel aut iterum aut etiam sæpius obseruata sunt, eodem mo-
do euenisse in uniuersum pronuntiantur, ac semper ita fie-
ri necesse censentur. Verum si utriusque restrictius fuissent
locuti, dixissentq; quosdam cometas esse elementares, quos-
dam æthereos, aut illos simpliciter cometas, qui in elemen-
tari regione gignerentur, hos, stellas secundas, quæ in æthe-
rea fulgerent regione, appellasset: utrorunque sententia
potuisse saluari, quòd credibile esset utrorunq; testimonio,
tam in ætherea quam in elementari conspectos aliquando
fuisse regione. Evidem crediderim frequentius in elemen-
tari fuluisse: interea tamen non negauerim eosdem etiam in
cælo, licet rarius fortasse, apparere potuisse. Ac quod in
elementari regione flagrent seu fulgeant, probatione non e-
get. Iam enim id abundè ab Aristotele probatum, & pluri-
bus confirmatum est: sed omnium exactissimè demonstratu
à Regiomontano in eo cometa qui luxit anno 1475: & à
Ioanne Vogelino in alio cometa, qui luxit anno 1532: qui-
bus ob peritiam Mathematics, & evidentiam demonstra-
tionum longè plus credendum est, quam ullis probabilibus
rationibus & philosophicis argutijs: quasquidem etiam si
non ignorarent, demonstratae tamen veritati suum locum

Erratum
causa in
artibus &
scientiis.

Horum
scripta sub
finem hu-
ius libelli
adiunxi-
m°, ut stu-
diosi habe-
ret exem-
plū obser-
uandi co-
metas.

esse maluerunt. Quod verò in ætherea regione lucere pos-
sint, non ab omnibus cognitum & acceptum est. Aristote-
les & uniuersaschola Peripatetica, hanc sententiam peni-
tus expposit: ac pugnatum est hic solummodo rationibus, cur
id admitti nō posst: indéque conclusum nullos fieri posse co-
metas in cælo, non autem inquisitum accuratius de rei exi-
stentia, fueritne aliquando quispiam Cometes in cælo, an
secus: imò audita sententia aliorum afferentium cælestes es-
se mox ad contrariam tuendam sententiam conuersi sunt,
non cælestes, sed elementares esse oportere, cum primum
omnium oportuisse inquiri existimauerim de rei existentia
quàm de illius causis: quemadmodum de eo ipso Aristote-
les nos edocuit in 2. posteriorum Analyticorum, cui etiam

Rei ratio
nō est in-
uestigāda
nisi prius
consti-
tit rē esse.

Galenus adstipulatur, nimirum rei alicuius rationē & cau-
sam non esse inuestigandam, nisi prius constiterit quòd ea
res sit. Quæ enim res non sunt, ea ut non affirmari, ita ne-
nit scribi quòd sint reuera, possunt. Acsis solis rationibus in-
nixi probare velimus rei existentiam, in multos necesse est
incidamus errores, quemadmodum clarissimè videre licet
in hoc unico exemplo (quod erat apud priscos illos Philo-
sophos agitatum) de partium terræ commoda vel incommo-
da habitatione. Illi enim solis rationibus nixi, quas ex ra-
diorum Solarium reflexione sumebant, tandem concluse-
runt extremas Zonas esse intemperatas & ineptas hominū
habitationi & vitæ: propterea quòd in illis nulla fieret radi-
orum Solis reflexio: ideo etiam Zonas illas perpetuo frigo-
re esse horridas, & nebulis caligare. Medium quoque Zo-
nam esse inhabitabilem, propterea quòd radijs Solis dire-
ctis, &

Etis, & ad angulum rectum reflexis, ac veluti duplicatis,
 perpetuo æstu torreretur. Reliquas statuerunt temperatas,
 & habitabiles, ob radiorum reflexionem ad angulos obli-
 quos: qui temperatum calorem cident & gignunt. Ex his ra-
 tionibus priores illi Philosophi certò se inuenisse rei existen-
 tiam & inexistentiam existimarunt, hoc est, has partes es-
 se habitabiles, alias minimè: in quo tamen logissimè à veri-
 tate aberrarunt. Constat enim experientia, & sub Äqua-
 tore, & sub Tropicis, & sub ipso etiam fere polo, esse habi-
 tationem. Ideò vanafuit causarum inuestigatio rei de qua
 exploratum non erat, utrum ea esset vel non. Primo igitur
 omnium inquirendum fuerat an res sit nec ne, quod ubi con-
 stitisset, tum demum ad rationes fuisse transendum. Sic
 in proposita quæstione, utrū Cometæ in ætherea regione ge-
 nerari possint, non erat necessarium statim conuertere se ad Quæstio
 inquisitionem causarum, cur ibi esse vel non esse possint, ac de Com-
 ex eo inferre nullos ibi generari posse: sed inuestigandum tis quo-
 fuit initio an ibidem aliquando fulserint: ac qui id affirma-
 rent, ulterius considerandum fuit, possitne aliqua repugnan- modo
 tia seu implicatio contradictionis dari, quominus id fieri po- pertra-
 tuerit. Nam si daretur aliqua repugnatio, friuolum esset con-
 uertere se ad inquisitionem causarum rei illius quæ non exi-
 steret: & quæcunq; inuenirentur, sic & saltē, & vanæ fu-
 turæ essent. A rei cognitione, quod ea sit vel fuerit, trans-
 eundum fuerat ad id, ut inquireretur an locus conueniens
 cometis cælum sit: & an cœlestis natura illi repugnaret. Et
 si nil horum obstare videretur, transendum erat ad exem-
 plia & obseruationes artificum, & accuratè peruestigan-

dum an id aliquando ab aliquibus fuisse deprehensum, vel non. Nam si constaret aliquando eiusmodi Cometas apparuisse, quid prohiberet quominus nunc quoque tales apparetur? Si verò nullis observationibus id ostendi posset, censembitur omnino ne nunc quidem accidere potuisse: in quo testibus præclaris, non suspectis standum erit. Quod si utraque pars suis testibus fulta esse videbitur, quorum illi affirmaverint rem ita contigisse, alij negauerint: magis rationabile videtur, affirmantibus potius, quam negantibus, subscribendum esse. Nam quæ raro eueniunt, paucis nota esse consueverunt: quæ vero frequenter, pluribus explorata esse solent. Hinc accedit, ut rara illa à multis existimentur, vel nunquam fieri potuisse, cum illorum neque ipsi adepti fuerint aliquam cognitionem, neque ab aliis edoceri potuerint. Si igitur vel ipsi se ea aliquando obseruasse, vel ab aliis considerata accepisse fatebuntur, ac fuerint ijs dotibus prædicti, quas Arist. cap. 2. lib. 1. ad Theodocten in testibus, ut ijs fidem apud auditores mereantur, requirit, tuto produci possunt: & illis, ut dixi, affirmantibus, magis quam negantibus, credendum erit. Itaque cum Anaxagoras, Democritus, Pythagorici, Hippocrates Chius, Hipparchus, Seneca, & Astrologi quidam, ut Albumasar, Mesahala, Hali, disertè profiteantur, Cometas cœlestes, & ex cœlesti materia fuisse genitos: tam præclaris testibus affirmantibus potius credendum esse censemus, quam id ipsum negantibus. Ita tamen illorum affirmationem limitat am esse volumus, ut quod illi uniuersaliter de omnibus Cometis dixisse videntur, nos ea ad quosdam saltem referamus. Non enim hic ex integro illorum

sententiam tuemur: sed saltem quatenus cœlestes esse voluerunt Cometas, dico non esse sententiam illorum inconsideratè reiiciendam. Erant enim omnes hi clarissimi Philosophi & Mathematici. Anaxagoras certè qui vixit tempore Periclis, cuius etiam præceptor fuit, insignis & præclarus in contemplanda cognoscendāq; rerum natura habitus est: qui etiam fatale exterminium totius Græciæ longè antè prædictisse dicitur. Ac suo tempore effulserat ingens ille Cometes qui continuos septuagintaquinquaginta dies arsif: quē tanta ventorum tempestas secuta est, ut lapidem, vehiculi magnitudine à rupe auulsum in sublime turbo ferret, demitteretq; ad urbē Thraciæ Έgospotamos dictam, aut (ut vult Aristoteles, in I. Met.) in ipsum Έgos flumē Thraciæ. Nō minori laude celebratur Democritus, quem aiunt attigisse annum 109. ac Theologiam & Astrologiam didicisse à Magis & Chaldais: deniq; in omni genere Philosophiæ adeò profecisse, ut pentathlos sive quinquertio dici meruerit. Nam naturalia, Moralia, Mathematica, liberales disciplinas, artiumq; omnium peritiam callebat. Plinius etiam nominat illum virum sagacem, & vitæ utilissimum fuisse dicit. Cicero etiam in libro de natura Deorum, & libris de diuinatione, virum magnum, non obscurum Physicum, & grauem authorem appellat. Habet alij quoq; sua iusta præconia, quæ ut huc afferantur superuacaneum esse videtur. Existimauerim, si omnium illorum Philosophorum, quorum Aristoteles sententias reprehendit, integras scripta extarent, non difficile cognosci posse quæ obiter, quæne deliberatè, & ex professo (ut dicitur) ab illis dicta fuerint. Ac

cudit enim saepe doctissimis & perspicacissimis viris, ut illi quoq; non semper alterius assequantur sententiam, imò eam frequenter contra autoris mentem alio detorqueant, & acriter exagitent: præsertim quorum animus studio contradicendi flagrat. Sic quia illorum quidā pronuntiarunt Cometem esse plurium vagarum stellarum radiis sese tangentium congregationem, propterea quòd aliquando cometis dissolutis stellæ visæ fuerint: statim reiiciebatur illorum sententia, & rectè quidem, si in uniuersum de omnibus ita esse illi sentiebant: sed si de illis tantum id fieri intellexerunt, qui intra Zodiacum sunt conspecti, & apud aliquem Planetarum, minus rectè reprehensos esse dixerim. Cùm enim nullus certus Cometis locus dari posset in cælo velaere: cur non possent vel sub Zodiaco, vel extra illum, & sub hac vel illa stella apparere? Quid si idem apud illos fuerit Cometas in stellas dissolui, quod apud Aristotelem sub sidere nasci, seu sidus ambire? Certè ipse disertè fatetur, aliquando etiam absque ullo sidere per se spectatos fuisse Cometas: & facile cōcedi potest, səpius multò id potuisse accidere, quam prius illud. Sic etiam qui opinati sunt cometem unum esse ex Planetis, poterant intelligere, non illum ex quinq; perpetuis, sed alium quendam nouum & peregrinum, & Planetis quodam modo similem, ac talem qui ipsum Zodiacum non fuisse egressus. Neq; enim cogitari potest, adeò rudes illos fuisse Philosophos, ut Cometem à quinque Planetis discernere nequieverint. Profectò quæ de cauda dixerunt, quòd aliud nihil esset, quam refractio radiorum solis, non male dixisse videntur: cuius sententia fuit olim doctiss. ille Gemma, ean-

démq; tuetur iusta hæreditate Cornelius filius, doctrina & iudicio patre minimè inferior. Quid Seneca, lib. 7. natur. quæstionum de cometarum natura scribat, non adducam ea in medium, nec ratio præsentis instituti postulat. Restat ut hanc nostram sententiam aliquot exemplis confirmemus. Sed ne quis hic me perstringat, quod solis inartificiabilibus argumentis contra receptam opinionem pugnem, primum proferam unicum argumentum philosophicum, & (ut existimo) ex propriis deductum, adeoq; demonstratum in hac materia, quod tale est:

Nullum Phænomenō quod sit inferius orbe Lunæ, velocius perfectiusq; moueri potest motu diurno ipsa Luna.

Plurimi Cometæ deprehensi sunt velocius perfectiusq; moueri ipsa Luna.

Ergo plurimi Cometæ non sunt inferiores orbe Lunæ, sed supra illam, adeoque ætherei.

AVT SIC:

Omne quod velocius perfectiusq; circumagitur motu primo, quam ipsa Luna, id supra illam esse necesse est.

Quidam Cometæ velocius perfectiusq; circumaguntur motu diurno, quam ipsa Luna. Ergo quidam Cometæ supra Lunam sunt.

Maior est nota ex Physicis. Quia quo quæq; sphæra prior est primo mobili, eo velocius perfectiusq; mouetur motu primo, tardius autem motu proprio: ac viciissim, quanto à primo mobili lôgius remouetur, tanto ab illa velocitate recessunt.

Minor probatur ex plurimis descriptionibus Cometa-
rum, quæ extant. Qui enim leguntur fuisse vel immoti, vel
tardioris gressus quam Luna, hos velocius perfectiusq; mo-
tu diurno fuisse conuersos certum est: ideoq; supra Lunam
collocandos. Hoc argumentum ex principiis Aristotelicis
deductum afferre volui, ut aliquomodo satisfacerem Ari-
stotelaes. Sed nos evidentiora afferemus capite sequenti.
Nunc iam exempla aliquot colligam, quæ indicare viden-
tur cœlestes quandoq; fuisse Cometas.

Hipparchus, qui vixit annis circiter 130 ante Christum,
(ut testis est Plin. lib. 2. c. 26.) nouam STELLAM, & aliam,
in ævo suo genitam deprehendisse dicitur.

Refert Seneca, quod post Demetrij Regis Syriae interi-
tum Cometes effulgit totos triginta dies, non minor Sole. I-
dem narrat sub Archelao in Græcia Cometem visum esse,
qui adeò se diffudit, ut Äquinoctialem circulum attinge-
ret, ac viam lacteam compleret.

Sub initium principatus Neronis Cometes à Septen-
trione cœpit, à meridie in occidentem tendens, & durauit
menses sex.

Horum nullum putauerim ego fuisse elementarem, ac
multo minus illum cuius meminit Iosephus lib. 7 Belli Iu-
daici, quod anno primo imperij Vespasiani integro anno su-
pra Ierosolymam ensis specie fulserit. Quis, rogo, Aristote-
laeus mihi hanc reduxerit ad suas exhalationes? Quomodo
in lapidosa circum Ierosolyma, & situlosa regione, tan-
tum exhalationis suppeditari potuit, ut flagrare potuerit
anno integro? Quomodo halitus illi qui ascendunt per me-

diam aeris regionem algentissimam, non sunt ibi retenti, neq; obriguerunt ut altius non ascenderent? Hæc profectò suspectam reddere videntur illam totius huius intercapendi nis inter terram & concavum Lunæ, in tria illa domicilia seu receptacula, seu regiones aeris, distinctione. Plurimum etiam me mouent ut credam, non omnes elementares fuisse, nec eo modo ut vulgo creditur generatos. Quæ si quis diligentius expenderit, ægrè profectò subsistet cum rationibus Aristotelicis: sed defectionem meditabitur, ut potius dicat & credat cum Iacobo Ziglero, & aliis modernis Christianis Philosophis: Cometas in secretis naturæ reponendos, efsq; occulta opera non naturæ, sed Dei: ac eos ostēdi ad tempus terris, ut essent nuntij futurorum. Sed subiungam adhuc aliquot exempla cælestium Cometarum, ut res fiat euidentior. Annotarunt Prosper & Nicephorus, quod anno 6. imperij Gratiani, qui fuit Christi Domini 393, apparuit signum in cœlo quasi columna pendens & ardens dies 30. Inopinata, inquit Nicephorus, & insolens STELLA in cœlo, media noctis tempore, prope luciferum refulgens, apparuit circa eum ipsum qui Zodiacus dicitur circulum. Ea quod propter coruscantes radios ingens & lucida esset, non admodum lucifero cessit: paulatim vero ad eam ingens etiam aliarum stellarum vis ag gregabatur. Spectaculum id, si vidisses, apum examini, quæ circum ducem suum in orbem oboluuntur, contulisses.

Cometa-
rum de-
scriptio
verissima.

Scribit Michael Glycaeus sub Iustiniano Imperatore, circa annum Christi 520, sidus peculiare conspectum esse totos 26 dies.

Annotauit Zonaras Tomo 3 in Iustiniano, & etiam Nicēphorus, quod anno 5 Imperij Iustiniani Cometes sit conspectus, ac flagrauit diebus 20, qui ob radios sursum in star facis porrectos, lampadias dicebatur.

Albumasar quoq; qui vixit circa annum Domini 844, prodidit Cometem quendam supra Veneris orbem visum. Sed adscribam hic quoq; illam STELLAM insolitam quam describit Hali sup. 2. quadrip. Ptol. c. 9. testaturq; ipsam vidisse cum multis sapientibus viris, cum adhuc esset iuuenis, & literis incumberet, dicit autem illam enitusse in 15 gradu scorpii, cum sole esset exacte in gradu & signo illi opposito, videlicet 15 gradu Tauri. Figuræ rotundæ fuisse, ac æquasse magnitudine ipsam Venerem, tantum luminis claritate, ut illuminauerit uniuersum horizontem, tantamq; ab ea profluxisse lucem, quantam quarta pars Lunæ lucentis dare posset, aut etiam amplius. Semper (inquit) apparebat, hærebaturque in eodem signo, nisi quod firmamenti motu circumagebatur: neq; prius extincta est, quam sol peruenisset ad sextilem illius, hoc est signum Virginis. Durauit igitur ad summum menses quatuor integros.

Fulserunt etiam duo Cometæ anno 1315. à mense Decembri usq; ad Februarium anni sequentis, alter Marti dicitur fuisse coniunctus, alter intra circulum Arcticum constituisse. Descriptus uterq; est à quodam Colonensi, ut appareret, cuius manu scriptum exemplū vidi, & legi, qui iisdem quibus ego usus sum argumentis: potissimum autem à Parallaxi, & æquali distantia, euincit utrumque ad sphæram Martis referendum esse. Observent, rogo, studiosi has historias,

storias, ut quæ plurimū cum moderna stella cōgruere vi-
dentur, confirmarēq; nostram sententiā, fieri posse ut etiam
ætherei sint Cometæ, sive stellæ secundæ, quas alij repen-
tinas vocant. Et si quis accuratè expendere voluerit alias si-
miles cometarum descriptiones, quas authores quomodo-
cunq; nobis circumscr̄perunt (saltem ab his quæ in oculos
incurrebant) id deprehendet, non semper Cometas illos, seu
stellas nouas, sub eadem forma, magnitudine, colore, fulgo-
re, mobilitate vel fixione fuisse conspectos. Quomodo ergo
omnes unius & eiusdem naturæ esse poterant? Colligēdum
potius inde fuerat, quæcunq; illorum durabiliores fulgen-
tiōrēsq; cæteris apparebant, ac quām propinquissimè puri-
tate luminis accedebant ad illas firmamenti faculas, cœle-
stes potius quām elementares fieri oportuissent: ac Deum pe-
culiariter illa formarum & luminis diuersitate, & his quæ
omnibus in oculos incurruunt, ostendere voluisse naturarum
in eiusmodi nouis sideribus diuersitatem: ut vel hinc rudio-
res discernere possint elementaria à cœlestibus: non autem
inconsideratè confundere, & mirifica Dei opera, & minas
per eam nobis intentatas securè contemnere, vel consolationes
veras in iisdem propositas somnolenter expendere: quòd o-
mnia ista fierent in bonum fidelium, & pœnam infidelium.
Certè diurnitas stellarum, & augustus in illis splendor,
ac motus æquabilis, quæ omnia luculentissimè in moderna
stella apparuerunt, elementari naturæ haud quaquam com-
petere videntur.

Cùm igitur nouas quasdam stellas, seu Cometas æthe-
reos, in cœlo quoq; gigni posse abundè ostenderimus, & plu-

ribus exemplis confirmauerimus: expendendum deinceps
videtur an illa generatio cælesti naturæ, & quomodo con-
ueniat. Certum est, si aliqua generatio in cælo concedenda
est, eam penitus difformem dissimilémq; fieri oportere, ab
eo generandi modo qui fit cum transmutatione & tempore
in hoc mundo sublunari. Nam penitus negare velle ullam
illic fieri generationē, aut alicuius qualitatis impressionem,
voluntati & potentiae summi opificis derogare videretur,
cuius est posse & velle nouas faces, qualitates, vel quiduis
aliud, ubiq; sibi libuerit, collocare: quòd & antè semper
id facere consueisset, & quominus nunc quoq; id ipsum fa-
ciat, nulla repugnantia dari potest: quia sicut ab æterno
Deus per suam prouidentiam ordinavit ut talis ordo &
talis cursus in rebus naturalibus esset, ita ab æterno ordina-
uit se quandoq; facturum præter hunc ordinem rebus indi-
tum: & ideo absq; mutatione sua prouidetiæ est, quòd quan-
doq; præter hunc ordinem institutū operetur. Et huic mul-
tis in locis attestari videtur scriptura, quando respectu no-
tabilium & insolitorum euētuum dicit, Super hoc turbabo
cælū, &c. Et, Erunt signa in Sole, &c. Et, Dabo signa in cœ-
lum sursum, & prodiga deorsum, &c. Sed hic instabunt A-
ristotelæi, & quærerent à nobis modum illius generationis in
cælo. Quibus ego liberè & ingenuè respondeo, illum me igno-
rare, esse autem contentum eo, quòd etiamsi quomodo fiat
ignorem, dummodo quòd fiat intelligam. Hæc sufficere exi-
stimauerim non contétiosis curiosisq; naturis, quod aliquo-
usq; ex philosophia fiat progressus. Cogitabunt illi philoso-
phiam non omnia indagare posse, neque in admirandis Dei

operibus oportere inquirere illud usitatum QUOMODO.
Illi soli sui operis via & ratio relinquatur. Qui enim sapientia & virtute adeò excellit, quomodo nō operabitur ita miraculose, ut operum suorum ratio mētem nostram effugiat?
Agnoscendum quidem est insigne Dei beneficium in artium propagatione, & multarū rerum inquisitione: sed vicissim etiam fatendum est multo maiora Deum sibi reseruasse, multa in naturae maiestate abdita esse, quorū plenam cognitionē, dum hanc vitam viuimus, in hac terrestri schoala nunquam affsequemur. Ex his igitur quæ hactenus adducta sunt, palam fieri potuit non omnes Cometas, & stellas secundas, quæ hactenus apparuerunt, naturae elementaris fuisse: aut, si quæ amplius apparituræ sunt, necessario eas elementares futuras esse, sed earum nonnullas aethereas.

Quòd modernum nostrum sidus non sit affigendum sublunari mundo & Cometarum regioni, sed ipsi cælo, Astronomicæ probationes. Cap. 5.

MIRIFICA Dei bonitas & Philanthropia erga humanū genus in eo elucet, quòd mentem hominis tanta luce ac Diuinitatis suæ particula illustrare sit dignatus, ut ex hoc humili domicilio terrestri cœlum ipsum lustrare, siderum motus & positio-
 nes, & quæ illis accidunt contemplari, ac longè antè quo in situ sint futura, præuidere possit: non secus ac si ad arcanum

Dei de futuris euentibus consilium esset admissus, aut per scalas in ipsum cœlum concenderet, & præsens præsentia contueretur ac dinumeraret. Itaque generosæ mentes contemplatione cœli, & totius huius mundanæ machinæ, semper mirificè se oblectarunt. Neque frustra videtur Deus promissiones suas sanctis illis Patriarchis factas, & crebro repetitas, signo seu similitudine dinumerationis stellarum coprobasse: ut sicut stellæ ab homine dinumerari nequeunt, ita futurum esse semen Abrahæ. Sed haec obiter, nec prorsus extra oleas. Hactenus rationibus ex schola philosophorum ostendimus, hoc nouum sidus Cometem dici & esse non posse, nisi quis ~~etiam~~ loqui velit: neq; sublunari mundo affigendum esse. Nunc ad idem comprobandum Astronomicas etiam probationes conabimur afferre in medium, quæ Philosophicis multo sunt certiores evidentioresq;, ut veritas ipsa undequaq; elucescat, nec ullus amplius dubitationis locus relinquatur. Quòd igitur ad ætheream, non ad elemetarem regionem accensenda sit hæc stella, duo sunt firmissima quæ id confirmant: quorum alterum est æquabilis & perfecta ipsius cum motu proprio couersio. Quæ enim in elementari consistunt regione, non possunt ea æquabilitate conuerti: Alterum parentia parallaxeos. Tametsi autem utriusq; horum magna vis sit ad demonstrandum locum stellæ, longè tamen maxima parallaxeos, neq; hanc absolutissimam demonstrationem ulli Philosophi euertere aut saltem eludere possunt. Aristoteli ea parallaxis prorsus incognita fuit, quòd Astronomia suo tempore rudis & inculta admodum fuerit. Excepisset vero eam parallaxim

Aristoteles obuiis vlnis. Ad illius igitur parallaxeos explorationem, admittere tñne aliquam nostra stella, an penitus excluderet, non piguit me aliquantulum laboris impeditere, ut veritas constare, veraq; scientia de hac stella constitui posset, præsertim vero cum illud neminem tentasse videam.

Quotquot enim hactenus, quos mihi videre licuit, aliquid de hac stella scripto prodiderunt, solis coniecturis usi sunt.

*Vnde accidit ut variæ opinione de illius à terra distantia Variæ op
sint à diuersis proditæ. Nam aliis 30, aliis 19, aliis 15, aliis 12 semidiametris à centro terræ eam distare protulit. Item diametrum stellæ quidam dicere ausus est fuisse 1 grad. scrup. 28, & tū triplo maiore Luna fuisse oportuisset. Alius eandem se obseruasse profitetur 10 scrupulorum: quod vero similius esse potest: aliis rursus ipsius magnitudinem æquare dicit 750 miliaria Germanica. Verum is sicut in Chymicis mentiri & hominibus imponere didicit, ita hic quoque eundem mendacij & imposturae cursum seruauit, in arte omnium pulcherrima nobilissimāq; ac certissima, cuius ipse penitus ignarus est, licet & Græcizet & Latinizet graculus ille in suis illis nugis. Illa, inquam, varietas opinionum de loco huius stellæ, inde proficiuntur, quod non ex fundamen-*

tis artis, sed ex falsa opinione quam sibi ipsi quisq; fingit, loquantur & mentiantur. Sed relictis his nugigerulis ipsam scientiam & veritatem persequamur, quæ ut evidentior fieret, placuit illam sequenti syllogismo scientifico proponere. Omne corpus quod vel nullam habet parallaxim, vel minorem quam Luna, nullo modo accensendum est elementari regioni, sed aethereo. Nostrum sidus nullam deprehēsum


nones de
distantia
stellæ à ter
ra, eiūf-
que ma-
gnitudi-
ne.

Syllogis-
mus scien-
tificus.

est habere parallaxim. Ergo non elementari, sed æthereæ regioni accensendū est. Maior est eidens ex ratione parallaxeos. Minorem probo præsenti prosyllogismo demonstratio. Omne corpus quod æqualem seruat perpetuò & ubiq; ad stellas distantiam, illud nullam habere potest parallaxim. Nostrū fidus æqualem seruauit omnibus temporibus & locis distantiam. Ergo nullam habere potest parallaxim.

Sed ea adhuc evidentior fiet ex sequenti schemate & argumentatione Geometrica, quam subiicere placuit, ut veritas constare, veraq; scientia de hac stella constitui posset. Maior prosyllogismi nota est, ex doctrina parallaxeos, quā hic fusius excutere non est necesse. Minorem evidentem faciunt nostræ & aliorum eruditorum virorum, præsertim Cornelij Gemmæ & Hyeronimi Munozij Hispani obseruationes.

Sit Meridianus AZHB, in quo punctum verticis sit Z. Medietas horizontis AEB. Locus visus O. Verus G. A Polus mundi H, à quo per locum ipsum ipso momento obseruationis agatur arcus maximus circuli HO,



& circulus altitudinis Z O M: in quo signetur locus verus stellæ G, ac ex polo H ducatur ad illum arcus circuli magni H G. Ducatur etiam ex eodem polo H per punctum O parallelus stellæ, quis sit F O K, in quo stella invariabiliter, non secus ac Sol in Ecliptica, moueri intelligitur: siquidem nullam habeat parallaxim. Punctum F indicat locum visum in prima consideratione, quando videlicet stella ipsum meridianum inferiorem attigit, quod fuit hora 8 scrup. 29 post meridiem diei 6 Maij. Arcus itaq; B F erit altitudo stellæ meridiana, quæ per quadratam inuenta est esse 20 grad. 15 scrup. Iam vero punctum F motu primi mobilis versus orientem promotum esse intelligitur usque ad punctum O, per tempora 24 scrup. 30, ubi altitudo stellæ per quadrantem inuenta est 22 grad. exactè, arcus videlicet M O, ac distantia horizontalis à meridie versus ortum, nimurum arcus B M, graduum 12 plenè. Tempus secundæ obseruationis fuit hora 10 scrupu. 7 quod ex altitudine quartæ stellæ in Cassiopæa 17 grad. 45 scrup. innotuit. Ideo tempus intermedium inter duas considerationes fuit 1 hora 38 scrupul. seu (ut paulo superius annotatum est) temporum 24 scrup. 30. Iam concipio hic duo triangula amblygonia, quorum alterum est Z H O, alterum Z H G. Primum autem assumo triangulum Z H O, in quo angulus ad O est acutus: secat enim parallelum stellæ circulus altitudinis in parte ipsius inferiori & superiori, ac ipsa stella commoratur in quadrante paralleli sui inferiori. Nam si stella sub eiusmodi situ versaretur in quadrante altero versus superiorē Meridiani partem, esset angulus ille obtusus, sed si illum tantummodo

contigisset, fuisset rectus. Latus z H notum est, videlicet complementum altitudinis poli. Latus z O datum est, nimirum complementum altitudinis stellæ hora considerationis: Denique angulus ad z, etiam notus est, per distantiam horizontalem, & arcus B M, quem posuimus esse 12 grad. exactè. Dabitur igitur per 11 Copernici tertium latus H O, partium 28, scrupul. 6: & angulus z H O obtusus, partium 155, scrup. 31: quod seorsim noto. Rursus, quoniam in altero triangulo z H G, unum latus z H, cù duobus angulis G z H acuto, & G H z obtuso, nota sunt: quare per 12 Copernici reliqua latera innotescunt, videlicet, H G part. 28, scrup. 7: ac angulus G H z, partium 155, scrup. 30. Iam vides latus H G, & equari lateri H O, ac etiam angulum G H z, & qualem esse angulo z H O. Nam unius scrupuli differentia, imò neque trium, pro nihilo reputari debet, cùm ipse Ptolemæus uncis contentus fuisse videatur in stellarum fixarum observationibus. Concludimus igitur nostram stellam nullam prorsus admittere parallaxim, & propterea necessario illam esse supra Solem, & fortasse in ipso stellato orbe.

ANDREAS Nolthius Mathematicus in suo Germanico libello, quem de hac stella edidit, falso scōmate perstringit eos qui elementarem esse hanc stellam negant, dicens, religiosa quadam obseruatione ita eos sentire maluisse, quam Cometem fateri. Itaq; cum adstruit elementarem esse, ac parallaxim in superiori Meridiani parte habere 39 scrup. nimium prophane in errorem lapsus est, vir alioqui doctiss. & Matheos peritisimus, assumendo tempus considerationis iusto minus. Cùm enim arbitraretur stellam esse in

esse in Meridiano, ea illum nondum attigerat. Hinc pullulauit error ille, in quem valde proclive fuit labi, tum ob exiguum altitudinis stellæ circa ipsum Meridianum crementum, tum Meridianæ linea minus exactam designationem. Verū si stella in loco superiori habuit parallaxim 39 scrup. & in distantia 19 semidiametrorum à terra, ut vult Nolthius: certè in inferiori Meridiano oportebat illam fuisse triplo maiorem, aut amplius: quanta à nemine unquam, toto apparitionis stellæ tempore, deprehensa fuisse legitur. Neq; enim tanta differentia imperceptibilis esse potuisset: non solum his, qui organis adhibitis altitudines stellæ illiusque à reliquis distantias explorabant: sed etiam qui solo aspectu oculorum communiq; iudicio usi sunt. Nullo igitur modo parallaxis Nolthij admitti potest. Hæc ego libertate literata, nec temere, nec ullo insectandi studio, pro veritate proferre volui: quæ Nolthium, ubi hæc accuratius expanderit, rectè & candidè accepturum esse confido. Ego vicissim mea, & Nolthij & aliorum doctorum iudicio liberter subiicio.

Quomodo ex duabus meridianis altitudinibus
explorari potuisset modernæ stellæ pa-
rallaxis. Cap. 6.

Si habuisssem utramque meridianam altitudinem nostræ stellæ, facilius inde iudicare potuisssem de parallaxi, haberétnne aliquam aut nullam. Coniuxissem utranq; altitudinem: cuius

dimidium si fuisset æquale altitudini polari tui loci, colle-
gissem inde nullam habere parallaxim: aut minimam alti-
tudinem de minori demissum, residui dimidio adiecissem
minimam altitudinem: vel item illud dimidium detraxis-
sem ex maxima altitudine illius, & quicquid resultasset
post additionem aut subtractionem, si fuisset æquale eleua-
tioni poli, pronuntiassem nullam ibi esse parallaxim: sed si il-
lud dimidium fuisset minus altitudine poli, differentia in-
dicasset dimidium parallaxeos duarum altitudinem. Hoc
duplicatum monstrasset parallaxim duorum locorum con-
iunctam, maximæ videlicet & minimæ altitudinis meri-
dianæ. Quanta autem separatim singulis illis altitudinibus
meridianis tribuenda sit, hic aliquid studij & operæ requi-
ritur: ad quam subleuandam construximus peculiarem ta-
bellam parallaxeos, cuius usus ex sequentibus clarius inno-
tescet. Porro hæc doctrina parallaxeos accommodari pote-
rit omnibus Phænomenis, quæ aliquando durant. Sed quia
operosa admodum fuisset illius investigatio, neq; omnibus
obuia, studiosis harum artium succurrere volui, ac digre-
diendo paulisper à proposito arguento, monstrare hoc loco
viam planam ac facilem, per quam absq; omni molestia, su-
nico intuitu cognoscere poterunt & parallaxim cuiuscun-
que Phænomeni, & distantiam illius à centro terræ: quod
profectò scitu perquam iucundū est: nec inanis est tantum-
modo oblectatio: sed eadem affert secum ipsius veritatis in-
fallibilem cognitionem & scientiam: à qua Physiologi &
Meteorologici, qui tria illa domicilia aeris commenti sunt,
longissimè hactenus absuerunt. Cùm igitur veritate nihil

fit pulchrius & amabilius, gratum hoc nostrum studium multis fore confido. Cognoscent hic, hac accessione parallaeos omnibus phænomenis accommodata, non contemendum auctarium Meteorologicæ doctrinæ afferri, per quod ipsi & lucis & authoritatis plurimum accessurum esse confidimus.

Quomodo inueniatur parallaxis & distantia à centro terræ eorum phænomenū, quæ aliquan-
diu consistunt, nec protinus euanescent,
& supra horizontem apparent, nec
subducuntur. Cap. 7.

*VEMADMODVM in stellis affi-
xis, sub aliqua cœli inclinatione, conside-
rare solemus quæ illarum semper extent,
aut item quæ præteruehantur circum-
ferentiam horizontis, illumq; solum per-
stringant: aut rursus quæ descendant su-
pra horizontem, ac infra eundem demergantur. Ita etiam
de phænomenis accipiendum est: quod eadem illis accidere
possunt, nimirum ut vel supra horizontem absq; demersu
appareant, circulosque paruos circa polum mundi descri-
bant: vel præteruehantur finientem: vel eundem prorsus
subeant, & rursum ab eodem attollantur. Quæ omnia excu-
tiemus hoc loco, docebimusq; quomodo omnium eiusmodi
phænomenū, quæ modò aliquandiu consistunt, nec proti-
nus euanescent, parallaxes verūsq; illorum in aere aut cœlo*

locus, adeoq; à centro terræ distantia inuenienda sint. Primum autem in hoc capite agemus de his phænomenis, quæ nocte integra nunquam subducuntur à conspectu nostro, neq; unquam horizontem subeunt, donec euanuerint: sed continuo circa polum circumaguntur: de reliquis in sequenti capite pertractaturi. Observabis autem eiusmodi phænomenis semper apparentibus quadruplicem positum posse contingere. Aut enim propinqua erunt polo mundi, quomodo Vrsæ minoris stellæ, & his vicinæ: ut circulos paruos, integros, motu diurno, circa illum describant: aut ab eodem polo remouebuntur amplius, ad tantam distâtiām, ut diurna circumactione per verticem loci exactè transeat: aut rursus eum locum occupabunt, ut ultra verticem præteruehantur, ipsumq; intra ambitum sui circuli includant: aut deniq; in eum circulum incident, qui est ex semper apparentibus maximus, & ad quantitatēm altitudinis poli ex eodemmet polo describitur, horizontem solum in deuexo Meridiano perstringens. In hoc quadruplici positu omne phænomenon bis deducetur ad Meridianum circulum 24 horarum spacio, semel infra polum mundi, secundo supra eundem. Quomodo vero in his procedendum sit, ordine explicabimus. Primum, si phænomeno vicinus fuerit polo mundi, ita tamen ut conuersione primi cœli non attingat ipsum verticem, sed cis illum consistat, ita operaberis.

Accipies per quadrantem exactè ad lineam Meridianam collocatum utrancq; phænomeni altitudinem, maximum videlicet & minimam. Maximam voco, cum in eam Meridiani partem, quæ vertici imminet, phænomenon

Phæno-
menūm
non occi-
dentiū
positus
quadru-
plex.

Præcepta
inuenien-
di paral-
laxim in
phæno-
menis
quæ sunt
inter po-
lū & ver-
ticem, &
vocantur
primi po-
situs.

attollitur: minimam, cùm ab ipso polo in horizontem proximè procumbit. Has altitudines simul iunges, & quod ex additione conflatum fuerit, conferes cum duplicata altitudine poli. Si enim æqualia fuerint, phænomenon nullam admettit parallaxim: ac altitudines illius meridianæ per instrumentum acceptæ, censemuntur veræ, & non apparentes: deniq; in eo phænomeni situ, terra nullam sensibilem habebit proportionem, ad ipsam phænomeni à centro terræ elongationem. Si verò duæ illæ altitudines iunctæ minores fuerint duplicata eleuatione poli, illorum differentia quantitatē parallaxeos indicabit: quæ utriq; loco, hoc est, maxima & minimæ altitudini phænomeni debebitur: & ideo vocabitur à nobis duplicata parallaxis. Quanta autem portio parallaxeos ex iam inuenta parallaxi singulis altitudinibus attribuenda sit, tabellæ nostræ adminiculo, sic inuestigabitur. Accipe singulorum altitudinum meridianarum tui phænomeni sua complementa, ut conficias distantias ipsarum à vertice, & cum singulis distantiis seorsim tabellam ingredere, querendo gradus distantiae à vertice in prima columnâ: duplicatam autem parallaxim è regione sub quacunq; columnarum in area tabellæ quæres, quæ non modò illici par sit aut propinquè respondeat, verùm etiam ea vel diuidio minor fiat. Hoc tantum memineris, ut sub qua columna primam parallaxim accepisti, sub eadem etiam alteram accipias. Mox in capite eiusdem columnæ notabis cui distantiae à centro terræ ea parallaxis debeatur. Acceptas hoc modo parallaxes, addes eas inuicem, & quod prouenit ex ea additione, si fuerit æquale duplicata parallaxi prius in-

uentæ, certissimum indicium erit, hæc parallaxes ex tabella acceptas esse verissimas, veram etiam phænomeni à centro terræ distantiam inuentam esse. Posset etiam hunc primum modum hac via absoluere, & eodem res redibit. Aufer minimam altitudinem phænomeni à maxima, residui di midium accipe, illiq; minimam altitudinem adde. Hoc si æquale fuerit altitudini poli, nulla erit parallaxis. Si minus, deme ab altitudine poli: residuum erit dimidium parallaxeos duarum altitudinum meridianarum. Duplica hoc di midium, & habebis duplicatam parallaxim, cum qua ulte-
 Inquisitio rius procedes, ut dictum est. Quod si contigerit ut phæno-
 paralla- menon exactè ipsum verticem attingat (quod fit quando
 xeos in maxima meridiana altitudo phænomeni integrè quadrante
 phæno- tem expleuerit) similiter iunges utraq; altitudinem: & si
 menis ip- quod prouenit ex ea additione, æquale fuerit duplicata al-
 sum verti- titudini poli, nulla erit parallaxis: si minus, differentia illo-
 cem ex- gentibus, rum erit parallaxis, non iam utriusq; altitudinis phæno-
 que voca- tur secundi ni, ut antè in primo modo, sed solummodo inferioris, & mi-
 positus. nimæ altitudinis. In vertice enim absorbetur omnis paralla-
 xis, ut notum est. Idem prorsus eueniet, si hanc viam fueris
 secutus: Auferes minimam altitudinem à maxima, residui
 dimidio accepto, illud demes de quadrante, & quod reman-
 serit, si fuerit æquale altitudini poli, nulla erit parallaxis: si
 minus, differentia erit parallaxeos soli minimæ altitudini
 debita. Cum illa itaq; parallaxi & distantia à vertice so-
 lius minimæ altitudinis, ingredieris tabellam, & quæres in
 ea parallaxim modo iam exposito, quam si exactè repereris,
 adhibita utiq; parte (ut vocat) proportionali, mox in ver-

tice eiusdem columnulae, in qua parallaxim accepisti, habebis distantiam phænomeni à centro terræ. Rursus si phæno-
menon eum occupauerit locū in aere seu cœlo, ut diurna con-
tio paral-
laxeos
Inuestiga
uerione citra verticē præteruehatur, ac ipsum intra suum
circulum comprehendat, nondum tamen eum locum attin-
gat per quem circulus maximus ex semper apparētibus du-
citur, lambens horizontem. Quoniam igitur in tali positu, altitudines meridianæ phænomeni non iam ab eodem loco
horizontis numerantur, sed minima à Boreali, maxima ab
Australi horizonte, dupli ci via iterum hic uti poteris: pri-
ma erit hæc. Complementum maximæ altitudinis iunges
quadranti, ut conficias arcum integrum Meridiani, qua-
drante maiorem, à Boreali horizonte per verticem nume-
randum. Huic arcui addes minimam phænomeni altitudi-
nem. Quod resultat, si est æquale duplicat & eleuationi poli,
nulla erit parallaxis: si minus, differentia indicabit pa-
rallaxim utriq; altitudini debitam. Secunda via est ista, ut
non habita consideratione diuersarum altitudinum, quòd
videlicet una accipiatur à Boreali, altera ab Australi ho-
rizonte, transferas te totum ad Australem partem, ac si ibi
utraque altitudo fuisset accepta. Hæc enim nullum in ope-
rando errorem parere possunt, si modo positum phænomeni
verum è memoria non deposueris. Auferes igitur simplici-
ter minimam altitudinem de maxima, residuique dimidio
accepto, ac eo de quadrante detracto, quod remanet, si fue-
rit par altitudini poli, nulla admittetur parallaxis: si fuerit
minus, subtrahes ab eleuatione poli, & resultabit dimidium
parallaxeos duarum altitudinum phænomeni. Hoc dimi-

dium duplicabis, & cum duplicato, ac singulis distantiis à vertice, ex tabella elicies separatas parallaxes singularum altitudinum: deniq; etiam distantiam phænomeni à centro terræ. Vides eundem planè esse operandi modum, qui supra traditus est. Sed ne diuersus phænomeni positus aliquem scrupulum inexercitatis faceret, repeterem illa volui. Si de-

Inuentio paralla-
xeos phæ-
nomenū quarti po-
fitus.

niq; phænomenon inciderit in maximum circulum ex sem-
per apparentibus, ut horizontem in deuexo meridiano lam-
bat solum (quod ipso aspectu notum esse potest) non aliter o-
peraberis, quam ut in secundo positu phænomeni dictum est.

Poteris autem utraq; via uti. Nulla enim est varietas ope-
randi, nisi quod cum phænomenon lambat solummodo hori-
zontem in eo positu, nullamq; penitus ibi habeat altitudi-
nem, sola superior altitudo meridiana pro duplicata paral-
laxi sufficiet.

Nota, si acciderit ut in tabella parallaxeos, in quam du-
plici introitu cum duabus distantiis à vertice, ad elicien-
dam parallaxim tuæ duplicatæ parallaxi respondentem,
ingressus es, eam exactè in tota area tabellæ non reperias:
sed semper maiorem tua parallaxi, inde colliges, ac liberè
pronunciabis, tale phænomenon altius esse orbe Lunæ. Qui
locupletiorem tabellam desiderant, poterunt eandem, vel
in singulos gradus propagare, usque ad ipsum Solis orbem,
secundum doctrinam Regiomontani, lib. 5. cap. 23. sui Epi-
tomatis, aut Copernici, lib. 4. cap. 24. Mihi tantum ocij non
fuit ut pleniorem tabellam cōficerem: sed neq; aliud meum
institutum fuit, quam ostendere quomodo locus phænone-
ni in aere an in cælo esset, cognosci posset.

Explicatio

EXPLICATIO TABEL-
læ parallaxeos.

OCTRINA parallaxeos est res admirabilis, & omnium pulcherrima. Nam ea & corporum cœlestium magnitudines, & à terra distantias, eclipses, ac plura alia nobis patefacit, quæ imperitis impossibilia, ac humano ingenio imperuestigabilia videntur. Suscepit igitur aliquantulum laboris, studiosorum causa, in confienda ista tabella, ut deinceps de quibuscumque phænomenis certius quam hactenus factum est, iudicari pronuntiarique possit. Vniuersa area tabellæ continet in se parallaxes respondentes determinatae, à centro terræ, iuxta eiusdem semidiametri mensuram, distantiae, & singulis quinque gradibus distantiae à vertice in meridiano, per integrum quadrantem, seu 90 gradus. Initium tabellæ fecimus à distan-
tia duarum semidiametrorum, deinde 4, postea 8, hinc 10,
inde 20, 30, 40. Et quia Copernicus minimam diuidit lunæ à centro terre remotionem, crebris observationibus, se deprehendisse fatetur 52 semidiametrorum, & insuper 17 scrup. maximam vero 68 semid. 21 scrup. sed nouæ plenæque lunæ minimam 55 semidia. 8 scrupul. maxi-
mam vero 65 cum semisse: illius quoque parallaxes suppu-
tauimus, ac subleuarunt hic nonnihil nostrum laborem ta-
bulæ Prutenicæ summi artificis Reinholdi. Sed nos adhuc ultra orbem lunæ progesi, propagauimus tabellam usque

Exem-
plum.

ad distantiam 100 semidiametrorum terræ, ut aliis etiam necessariis in astronomia usibus seruire posset: & hic subsistere placuit. Ingredienti igitur in tabellam cum distantia à vertice & parallaxi, mox supra eandem columnam in capite tabellæ offeret se tibi distantia tui phænomeni à centro terræ. Aut rursus, si hæc tibi nota fuerit, parallaxis mox quoque tibi innotescet. Verum omnia quæ hactenus toto hoc capite dicta sunt, unico exemplo illustriora euident. Georgius Buschius pictor Erphordiensis scribit in suo libello, quem de hoc nouo sidere lingua vulgari edidit, se obseruasse per quadrantem sub eleuatione poli 51 grad. 10 scrup. utramq; sideris altitudinem meridianā, ac primam, eamque maximam, inuenisse 79 grad. 20 scrup. secundam, eamque minimam, 22 grad. 40 scrup. Libet hinc explorare parallaxim, & distantiam illius à centro terræ. Iungo duas illas altitudines, & fiunt 102 part. o scrup. duplico etiam poli altitudinem, & creant 102 part. scrup. 20. Differentia horum sunt 20. scrup. Hæc est parallaxis congruens utriusque altitudini sideris, maxima videlicet & minima. Hanc parallaxim, discriminis causa, dixi suprà duplicatam esse vocandam. Inuenies eandem etiam secundo modo, quem su præposui. Ablata enim minima altitudine à maxima, relinquitur 56 part. 40 scrup. Huius dimidium sunt 28 part. 20 scrupul. Cui adiecta minima altitudine, aut illo dimidio ex maxima altitudine detracto, supererunt 51 part. o scrup. Huius differentia à poli altitudine est 10 scrup. Istud est dimidium parallaxeos duarum altitudinū meridianarum: quod duplicatum creat 20 scrup. parallaxim duplicatam:

quæ etiam per primum modum inuenta fuit. Iam vero cum
hac duplicata parallaxi, & distantia duabus à vertice, e-
licio ex tabella geminas parallaxes. Prima respondens 10
grad. 40 scrupul. distantia à vertice (dimidio ferè minor,
quam duplicata illa prius inuenta) est 9 scrup. primorum,
20 scrup. secundorum. Omitto nunc studiosè scrupula quæ
10 grad. distantia adhærent: nullum enim errorem illorum
neglectio parere potest. Secunda parallaxis respondens 67
grad. 20 scrupul. secundæ distantia à vertice, est fere 49
scrap. Tabella non habet 67 part. sed 65, quibus respon-
dent 48 scrap. prima, & 17 scrap. secunda, duobus autem
gradib. congruit fere 1 scrupulus adiiciendus. Sic conficiun-
tur 49 scrap. prima, & 17 scrap. secunda, secundæ distan-
tiae debita: idq; sub columna distantia à terra 65 cum se-
missemidiametrorum terræ. Colligo in unam summam
utranque parallaxim excerptam, & procreant paralla-
xim 57. 43. Hæc collata cum illa duplicata prius inuenta,
videlicet 20 scrap. deprehenditur triplo fere maior. Qua-
re alterutrum inde colligi necesse est, aut hoc sidus in sphæ-
raluna esse non posse, sed ipsa sphæra multo altius (minuun-
tur enim parallaxes, quo longius sidera & phænomena re-
mouentur à centro terræ: sicut viciſſim augentur quo pro-
prius ad eandem accedunt, ut ex ipsa tabella ad sensum col-
ligi potest) aut altitudines meridianas non fuſſe veras fa-
teri oportebit. Buschius igitur, qui fatetur veras esse suas
altitudines, ineptè contendit elementarem esse hanc stel-
lam: nec animaduertit sibi ipſi hic vehementer aduersari.
Sed plura habet errata in suo illo libello: ut quod motum

quendam erroneum & retrogradum illi stellæ adscribit: quod signum supra horizontem emergens, tempore ascensus stellæ in suo parallelo, ab inferiori meridiani parte, vocat ascensionem illius obliquam: item quod diametrum stellæ 1 gradus 28 scrupulorum esse statuit: unde sequeretur stellam triplo fere maiorem fuisse ipsa Luna: & alia plura, quæ non libet persequi. Quoniam enim ignarus est artis, & mechanicus solum, venia & commiseratione dignum esse censemus. Nos hæc obiter solum, veritatis vindicandæ causa, annotare voluimus.

Tabella Parallaxeos.

Distantia à vertice.	SEMIDIAMETRI TERRÆ.											
	2	4	8	10	20	30	40	52	17	G	M	S
G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	M	S	
0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
5	2	30	1	15	0	37	0	30	0	15	0	10
10	4	59	2	30	1	15	1	0	0	30	0	20
15	7	26	3	43	1	51	1	29	0	45	0	29
20	9	51	4	54	2	27	1	58	0	59	0	39
25	12	12	6	4	3	2	2	26	1	13	0	49
30	14	29	7	11	3	35	2	52	1	26	0	57
35	16	40	8	15	4	7	3	17	1	38	1	6
40	18	45	9	15	4	36	3	41	1	51	1	14
45	20	42	10	11	5	4	4	3	2	2	1	21
50	22	31	11	3	5	30	4	24	2	12	1	28
55	24	11	11	49	5	53	4	42	2	21	1	34
60	25	40	12	30	6	13	4	58	2	29	1	39
65	26	57	13	6	6	30	5	12	2	36	1	44
70	28	1	13	35	6	45	5	24	2	41	1	48
75	28	53	13	58	6	56	5	33	2	46	1	51
80	29	29	14	15	7	4	5	39	2	49	1	52
85	29	52	14	26	7	9	5	43	2	51	1	53
90	30	0	14	29	7	11	5	45	2	52	1	54

K 3

Residuum tabellæ Parallaxeos.

Diffinitia verticis.	SEMIDIAMETRI TERRÆ.											
	55	8	64	10	65	30	68	21	70	80	90	100
M	S	M	S	M	S	M	S	M	S	M	S	S
0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
5	5	35	4	45	4	41	4	19	4	17	3	43
10	11	7	9	27	9	20	8	46	8	33	7	29
15	16	35	14	5	13	55	13	2	12	44	11	8
20	21	53	18	36	18	22	17	12	16	50	14	43
25	27	2	22	57	22	41	21	17	20	48	18	10
30	31	58	27	9	26	50	25	10	24	33	21	31
35	36	38	31	7	30	45	28	52	28	12	24	40
40	41	1	34	51	34	25	32	21	31	37	27	37
45	45	4	38	17	37	51	35	33	34	43	30	21
50	48	46	41	28	40	57	38	33	37	40	32	58
55	52	5	44	16	43	44	41	12	40	16	35	12
60	54	59	46	46	46	12	43	35	42	35	37	12
65	57	27	48	52	48	17	45	37	44	33	39	0
70	59	29	50	36	50	1	47	17	46	10	40	46
75	61	3	52	23	51	20	48	35	47	27	41	31
80	62	8	53	13	52	15	49	31	48	21	42	18
85	62	45	53	25	52	47	50	6	49	0	42	50
90	62	54	53	34	52	56	50	19	49	8	43	0

Quomodo inueniantur parallaxes & distantia à centro terræ eorum phænomenū, quæ subeunt horizontem, & supra eundem attolluntur. Cap. 9.



I tale aliquod phænomenon effulserit, quod ascendat supra horizontem, ac rurus infra eundem delabatur, cuius parallaxim, adeoq; etiam locum ipsius in aère, ac à centro terræ distantiam scire desideras: principio diligenter considera quando illud phænomenon cum aliqua stellarum fixarum tibi cognita, peruererit ad culmen cæli. Sit autem stella eiusdem affectionis cum phænomeno. hoc est, uterq; vel in Boream, vel in Austrum declinet. Mox eo ipso momento per Radiū Astronomicum, aut quadrantem, seu quodvis aliud instrumentum, dimetire distantiam phænomeni à stella: ac simul etiam accipe eiusdem meridianam altitudinem, quam serua. Quod si phænomeni & stellæ suas acceperis altitudines meridianas, minoremq; de maiori subduxeris, habebis distantiam. Habeas etiam in promptu ex tabulis diligenter supputatam declinationem stellæ: illius enim adminiculo, etiam phænomeni declinatio & reliqua innotescit, hoc quo sequitur modo. Considera in ipsa cæli mediatione situm stellæ & phænomeni, utrum illorum altius sit. Nam si phænomenon altius steterit ipsa stella, distantiam inter stellam & phænomenon, per radium inuentam, declinationi stellæ adiicies, & conflabis declinationem phænomeni apparetem

seu aspectabilem. Hac dempta ex sua altitudine meridiana, relinquet inclinationem æquatoris: quæ si fuerit æqualis veræ suæ inclinationi, seu complemento elevationis poli, nullam illud phænomenon habebit parallaxim: si autem fuerit minor, ipsa differentia erit parallaxis. Maior verò ut sit ratio parallaxeos non admittit. Cum ea parallaxi & distantia phænomeni à vertice ingressus tabellam nostram, cognoscas locum illius infra an supra lunam sit, quótue semidiame tris terræ ab eadem remoueatur. Quod si phænomenon in ipso meridiano humilius fuerit ipsa stella, distantiam observatione acceptam aufer à declinatione stellæ, & conflabis declinationem phænomeni apparentem: qua rursus, ut prius, ex sua meridiana altitudine detracta, relinquet inclinationem æquatoris. Reliqua absoluuntur ut dictum est.

Si autem phænomenon & stella in austrum ambo procuberint, eodem penitus modo procedes, ut prius: ut efficias declinationem phænomeni apparentem. Et si rursus phænomenon altius fuerit stella, auferes distantiam, quæ est inter illos, à declinatione stellæ, & prodibit declinatio phænomeni austrina. Hæc addita suæ altitudini proferet altitudinem æquatoris apparentem: quæ si exactè respondet complemen to altitudinis poli, expers erit phænomenon omnis parallaxeos. Sed si phænomenon depresso fuerit ipsa stella, cum qua meridianum tenet, distantiam illorum iunges declinationi stellæ meridianæ, & habebis declinationem phænomeni apparentem: cui si iterum adieceris suam altitudinem meridianam, conficies altitudinem æquatoris: ex qua, secundum iam dicta de parallaxi & loco indicium facies.

Verum


Verum si phænomenon & stella, quæ simul meridianum posse fident, alterutrum eorum declinauerit in Boream, alterum in austriū, sic procedes. Esto declinet phænomeno in boream, stella vero in austriū: declinationem stellæ ex distantia, quæ est inter illos, detrahes, & emerget declinatio phænomeni borea: qua ablata à sua altitudine meridiana, relinquet æquatoris altitudinem. Sed si declinat phænomenon in austriū, stella vero in boream, iterum auferes declinationem stellæ ex distantia, & habebis declinationem phænomeni austrinam: cui si iunxeris suam altitudinem meridianam, resultabit æquatoris altitudo: ex qua de parallaxi (ut saepe dictum est) iudicium facies: per eam etiam, auxilio nostræ tabellæ, distantia phænomeni à centro terræ non ignorabitur.

Scholium.

Suprà in cap. 7. locuti sumus de quadruplici situ phænomeni: quæ ut melius à studio sis harum artium percipi possint, placuit oculis subiicere delineationem, quæ omnia dicta etiam huius capitatis perspicua efficiet.

Sit igitur meridianus circulus A B C D. Horizon B E D. Äquator F E G. vertex A. polus mundi x. Primus positus phænomeni designatur parallelo M T N. Secundus parallelo Q S A, in quo cum A. sit vertex loci per quem phænomenon transit, ideo unicam tantum modo in eo situ habebit parallaxim, videlicet inferiorem. Tertius positus phænomeni ostenditur parallelo O R P. Quartus designatur parallelo D Z H, qui horizontem in puncto D. stringit, & vocatur maximus ex semper apparentibus.

L



Præter hos quatuor positus quicunque alij sunt, pertinent ad ea phænomena quæ oriuntur & occidunt, de quibus præsenti capite, quantum præsens institutum inquirebat, egimus. Posuimus in primo situ Phænomenon vertici propinquum, veluti in præsenti diagramate in puncto V, stellam autem ipso inferiorem in puncto I. Arcus igitur Meridiani I V, erit distantia Phænomeni & stellæ. Declinatio stellæ Boreæ F I, altitudo Phænomeni B V. ergo adiecto arcu I V ad arcum F I, conflatur arcus F V, qui est declinatio apparet Phænomeni: quo ablato ex V B, relinquit arcum B F altitudinem æquatoris. Sed ponatur Phænomeno in puncto I, stella verò in puncto V. Ablato arcu I V, di-

stantia videlicet stellæ & Phænomeni, ex arcu F V , declinatione stellæ, resultabit declinatio apparenſ Phænomeni, arcus videlicet I F: quo detracto ex I B altitudine Meridiana phænomeni, relinquit arcum B F, & quatoris inclinationem. Sit iam & stella & phænomenon ambo Australia ac Phænomenon sit K, stella L, distantia inter stellam & Phænomenon L K, declinatio stellæ australina L F: ablato L K ex L F, relinquitur K F declinatio Phænomeni apparenſ Australina. Addito autem arcu K F arcui K B, qui est altitudo Phænomeni Meridiana, relinquitur arcus B F altitudo & quatoris. Sed si stella sit in K, Phænomenon verò in L, additur L K ipſi K F, ut fiat F L declinatio apparenſ Phænomeni: cui additus L B efficit totum B F. Sit verò Phænomenon Boreale in puncto I, stella autem Australis in puncto K, distantia illorum erit K I: ablato arcu F K à tota K I, relinquit F I declinationem Borealem apparen‐ tem, qua ablata à toto I B Meridiana altitudine Phæno‐ meni, relinquit arcum F B. Sed si stella sit in I, Phænomenon in K, ablato F I ex toto I K, relinquit F K declinatio‐ nem Australinam Phænomeni: cui si adieceris arcum K B, conficies arcum B F, qui est & quatoris altitudo.

Quomodo inueniatur vera declinatio cuiuscun‐
que Phænomeni, indeq; vera latitudo,
& verus illius locus in zodia‐
co. Cap. 10.



*N*stellis & phænomenis, siue hæ sint ex eorum numero, quæ semper circa polum circumaguntur, siue quæ merguntur sub horizontem, ac vicißim exoriuntur, & sunt expertes omnis parallaxeos: faciliter admodum negotio ex illorum altitudinibus meridianis declinationes veræ inueniuntur. Ac in illis quæ semper apparent, subducitur minima altitudo meridiana stellæ à maxima, residuum distribuitur in duas æquales partes, quarum altera ex integro quadrante demitur, aut item poli altitudo à maxima stellæ altitudine detrahitur, residuum rursus de quadrante aufertur. Utroque quis operatus fuerit modo, habebit veram declinationem stellæ. Vel rursus subtrahitur minima stellæ altitudo à polari altitudine, ac reliquum demitur ex quadrante, & resultat declinatio vera. Sic etiam in stellis, quæ labuntur subtus horizontem, aufertur altitudo stellæ meridiana, ex altitudine æquatoris, aut econtra, & procreatur declinatio stellæ. Hæc (inquam) in stellis & phænomenis omnem parallaxim excludentibus ita habent. Verum in iis stellis & phænomenis, quæ omnino aliquam admittunt parallaxim, ex illorum altitudinibus haud quaquam declinatio venari potest, ob parallaxium inæqualitatem. Nam si quis cum minima altitudine declinationem inuestigare vellet, cum in eo situm maximæ fiant parallaxes, maxima hic quoque necessaria fiet declinatio. Si autem assumperit maximam altitudinem, ubi minimæ fiant parallaxes, minima etiam ibi fiet declinatio. Sic incertæ, inæquales, neque sibi consentientes, necesse

fariò prodibunt declinationes: quæ tamen ubiq; eædem & æquales esse debent. Oportet igitur pro inquisitione declinationis eiusmodi phænomenū, aliud principium quam illorum altitudines ponere, & quidem tale, quod sit certum & firmum: cuiusmodi sunt stellarum inerrantium declinationes: verùm tamen ex illis non nisi apparentes declinationes colegeris, ut ostensum fuit capite præcedenti. His si addideris parallaxim, secundum eiusdem capitinis doctrinam inuentam, efficies veram phænomeni horizontem subeun-
tis declinationem. Porrò in his phænomenis quæ circa po-
lum circumaguntur, ac bis se nobis in meridiano videndi ex-
hibent, diuersitas quædam in operando apparet: præsertim
in parallaxeos investigatione. Inueta, ut expositum est, de-
clinatione apparenti phænomeni, idq; circa inferiorem me-
ridiani partem, aufer à declinatione apparenti suam altitu-
dinem meridianā, ut relinquatur altitudo æquatoris: quæ
quanto minor erit vera, tanta erit ipsius parallaxis. Sed si
phænomeni obseruatio ad suam stellam facta fuerit in supe-
riori meridiani parte prope verticem, tum declinationi ap-
parenti tui phænomeni adde altitudinem ipsius meridia-
nam, & à residuo deme quadrantem: & relinquetur arcus
minor altitudine poli, tanta scilicet particula, quanta eius
loci parallaxis esse censetur. Possunt etiam hæ parallaxes
ex nostra tabella excerpti, de quo ut plura loquar non est ne-
cessum. Hæ parallaxes additæ suis declinationibus apparen-
tibus gignunt veras tui phænomeni declinationes. Habita
vera declinatione phænomeni, requiritur ut per aliquam
stellam fixam habeas tempus verum culminationis cœli tui

phænomeni: quod tempus exhibebit tibi gradum Med. cæli. Vnde quoq; innotescet vera latitudo, verūsq; locus phænomeni in zodiaco. Exemplum huius doctrinæ habes in moderna stella, & capite sequenti. Poterit etiā, qui volet, consulere ss problemata primi mobilis Regiomontani.

Quomodo verus locus nouæ stellæ in zodiaco secundum longitudinem & latitudinem inueniatur. Cap. II.



EMONSTRATVM est cap. s hāc nouam stellam omnem prorsus excludere parallaxim. Locus igitur illius visus idē erit cum vero. Quomodo autem is inueniendus sit, tres hic præscribemus modos: priores duo docebūt eundem inuenire ex alterutra stellæ meridiana altitudine, vera ipsius declinatione, & puncto mediationis cæli: tertius vero eundem inquiret ex illius ad vicinas sibi stellas distantia. Priorum modorum alterum perscripseram iam antè ad Bartholemæum Reischerum, quem ille suo libello adiunxit, sed obiter ea à me tum effusa verius, quam perscripta, fuerunt: ac demonstrata ex altitudine meridiana stellæ, non ea quidem exacta: sed quæ tum veritati quam propinquissima, aliorum iudicio haberipotuit. Etsi autem à veritate haud ita multum aberret: tamen cùm ipse deinceps rem experiri cuperem, crebro repetitis per quadrantem, magnitudine mediocri, considerationibus: accurata diligentia deprehendi altitu-


dinem ipsius meridianam esse 20 grad. 15 scrup. nimirum Altitudo
 quadrante maiorem priori. Fuit autem hæc consideratio o- meridia-
 mnium aliarum postrema die 6 Maij, anni 1573. hora ma nouæ
 8 scrup. 29 post meridiem: quo tempore planum meridiani stellæ.
 cum plano coluri æquinoctiorum, unum erant exactè. Ea al
 titudo fuit in declivi meridiani parte, & vocatur minima:
 quæ detracta ab eleuatione poli Viennensis 48 grad. 22, re- Altitudo
 linquit 28 grad. 7: cuius duplum 56 grad. 14 additum meridia-
 titudini minimæ, efficit 76 grad. 29 altitudinem stellæ ma- na maxi-
 ximam. Huius residuum ad quadrantem indicat distan- na nouæ
 tiam stellæ à vertice Viennensi 13 grad. 31. Iam vero ablata stellæ.
 minima altitudine stellæ ex poli eleuatione, aut hoc ex
 maxima altitudine, residuoq; ex quadrante detracto, pro-
 fertur declinatio stellæ. Aut rursus minima altitudine de Declina-
 maxima dempta, residuoq; bifariam secto: & horum altero
 ex quadrante ablato: emergit dicta declinatio, videlicet
 part. 61 scrup. 52. Eadem quoq; inuenitur, addita inclina- tio nouæ
 tione æquatoris minimæ altitudini stellæ. His inuentis, et stellæ.
 positis, ad reliqua, quæ inuestiganda proposuimus, per ve-
 risima evidentissimâq; mathematices principia, sequenti
 deductione peruenimus. Esto in subiecto diagrammatæ ar-
 cus coluri solstitiorum æstiui C A G K, in quo C sit polus
 Zodiaci, polus mundi A. Arcus eclipticæ G E D, Arcus æ-
 quatoris K D, Punctum æquinoctij verni D, Arcus A B D,
 sit arcus meridiani circuli, qui concidit cum ipso Coluro æ-
 quinoctiorum.

Arcus C B E, sit arcus circuli magni ex polo zodiaci du-
 ctus per centrum stellæ B, cum ea esset in meridiano, cum

ipsa sectione Ver-
na, seu Coluro &
quinoctiorū. De-
clinatio stellæ DB
est nota. Ergo e-
tiam BA notum
erit, residuum vi-
delicet ad quadrā-
tem. Sed & AC
non ignoratur, ni-
mirum distantia
poli mundi, à polo

Zodiaci, quæ perpetuò æquat magnitudinem maximæ de-
clinationis Solis, 23 grad. 28 scrup. Vnde etiam complemē-
tum illius arcus AG, mensurans angulum BDE grad. 66,
scrup. 32 innotescit. Dico dari quoque & longitudinem &
latitudinem stellæ, videlicet duo latera ED, & EB trian-
guli EBD. Quoniam C polus est circuli GED, erunt
quadrantes maximorum circulorum CE & CG. Simili-
ter quia A polus est circuli KD, erunt etiam quadrantes
circulorum AD, & AK. Rursus quoniam arcus C E tran-
sit per polos ipsius GED, ideo secat eum ad angulos rectos
per 17 tertij de Triang. Regiomont. & 20. Theodosij: &
anguli ad E erunt recti. Et iterum quia GED circulus
maximus secat circulum CBE ad rectos angulos, ideo tra-
nit per polos eius per 17 primi Theodosij. Habemus igitur
triangulum rectangulum BED, in quo latus BD notum
est, nimirum declinatio stellæ: & angulus BDE cognitus.

Dabun-



*Dabuntur itaque per 34 quarti Io. de Monte Regio, aut
3 Copernici etiam reliqua latera, videlicet B E, latitudo
stellæ 53 part. 55 scrup. & E D longitudo eiusdem 36. part.
51. scrup. ab æquinoctio verno sumpto numerationis initio,
hoc est in 6. gradu, 51. scrup. dodecatemorij Tauri: quod i-
nitio inuestigandum proposuimus.*


*Locum Stellæ nouæ verum secundum longi-
tudinem & latitudinem alia via quam
præcedens caput docuit inue-
nire. Cap. 12.*

LTER modus definitum eūdem locum
stellæ inueniēdi, est prorsus idem ferè cum
priori, licet sub alia diagrammatiſ forma
proponatur: eum hic quoque subiungere
placuit, si forte hic magis aliquibus arri-
deat. Sit horiZon A C B D super centro I
descriptus, A Ortus æquinoctialis, B Occafus, D Septētrio
C Meridies, arcus A E B, Æquator ex polo mundi K de-
scriptus, & alijs F E G Zodiacus, cuius polus L: interse-
ctio illorum punctum E principium Arietis. Meridianus
C E I D, punctum H locus stellæ in Meridiano, per quem
& polum Zodiaci L ducatur quadrās circuli, qui sit M H L.
Manifestum est in hoc diagrammate quòd E C est incli-
natio Æquatoris ad horiZontem, æqualis arcui I K, di-
stantiæ verticis à polo mundi: K D est poli altitudo Vien-
nensis, illique arcus æqualis I E. Sed K H est distantia stel-

M

la à polo. Ergo totus arcus DKH erit altitudo stellæ Meridiana ab horizonte. Totus autem arcus HIE declinatio stellæ, ac punctum E intersectio verni & qui noctis, cum qua stella cœli culmen te-

nebat observationis tempore. Arcus EM longitudine eiusdem: MH vero latitudo, hoc est distantia eius ab ecliptica. Quoniam igitur HE nota est ex observatione altitudinis Meridianæ, item notus est angulus M EH ex subtractione maxima declinationis Solis à quadrante. Quare in triangulo HEM datur unum latus & duo anguli: nam ille ad M est rectus. Sic igitur argumentor per 3 Sphæricorum Copernici, vel 34 quarti Io. de Monte Regio, Sicut sinus lateris HE se habet ad sinum lateris MH, sic sinus anguli recti, ad sinum anguli M EH. Sed tria dantur: ergo & quartum, per 17 sexti Element. Euclidis, nēpe sinus lateris MH, & per consequens etiam latus ipsum MH, id est latitudo




stellæ, per iam citata problemata. Cognoscetur etiam tertium latus trianguli H E M, videlicet M E longitudo stellæ: quod facere oportuit. Si quis calculum hic adhibuerit, idem prorsus inueniet quod in præcedenti capite: eadem enim hic quæ ibi habentur data.

Quomodo eadem longitudo & latitudo nouæ
Stellæ inueniatur ex illius ad vicinas sibi
steller distantia, & ex illarum præco-
gnita longitudine & latitudi-
ne. Cap. 13.

SINT in proposito diagrammate A e^r
B duæ stellæ asterismi Cassiopeæ, quarum
A sit illa quæ est apud Ptolemæum nume-
ro xij. in imagine. B verò quarta eiusdem
imaginis. Portio eclipticæ, ad quam re-
feruntur loca stellarum, sit D E. Polus il-
lius Boreus punctum C. Ex eo polo ducantur duo quadran-
tes per puncta stellarum A B prædicta, qui sint C A D e^r
C B E: locus stellæ nouæ collocetur in puncto M. Nam ipse a-
spectus & consideratio positus huius stellæ, palam indica-
bat illam cæteris Borealiorem esse. Per punctum M demit-
tatur quadrans circuli ex eclipticæ polo, quis sit C M G. E-
rit itaque locus G, locus visus & verus stellæ in ecliptica,
quem quærimus, & arcus G M, latitudo eius vera. Sit etiā
longitudo stellæ A verificata ad præsentem annum 73 in
28 grad. 59 scrup. Arietis. Latitudo illius D A, 51 grad. 40

scrup. Longitudo
 stellæ B in 7 gra-
 du 49 scrup. Tau- D
 ri, latitudo illius
 E B, 49 partium
 exactè, utriusque
 Borea. Iungantur
 puncta A B M per
 arcus circulorum
 magnorum, fiatq;
 triangulum A B M
 Manifestum est
 quod arcus D E
 erit differentia longitudinis duarum stellarum in Zodiaco,
 quæ inuenta est part. 8. scrup. 50 determinans quantitatem
 anguli D C E siue A C B: sed & A C & C B cognita sunt,
 videlicet complementa latitudinum predictarum stellarū.
 Sit etiam A M distantia stellæ duodecimæ in Cassiopea à
 noua stella part. 5. scrup. 15. B M vero distantia quartæ
 stellæ à noua part. 4. scrup. 51, quæ omnia obseruatione co-
 gnouimus. Dico ex his thesibus per triangulorum sphæri-
 corum doctrinam dari nouæ stellæ longitudinem & latitu-
 dinem. Primum igitur concipio triangulum sphæricum
 A C B, cuius duo latera nota sunt. Nam A C est comple-
 mentum ipsius D A, latitudinis stellæ in A, part. 38. scrup.
 20. B C vero residuum latitudinis E B, stellæ in B partium
 integrorum 41: angulus vero A C B notus est, quia illum
 determinat arcus eclipticæ D E, differentia videlicet lon-



gitudinis duarum fixarum. Ergo per 28 quarti Io. de Monte Regio de Triangulis, aut per 11 Copernici, latus quoq;
 $A B$ innotescet, distantia videlicet duarum stellarum part.
6.scrup.14: quemadmodum per experientiam quoque Radij adminiculo id ipsum cognouimus. Tribusigitur lateribus trianguli $A C B$ cognitis, cum angulo $A C B$, etiam angulus $C A B$ aut alter $C B A$, per iam citata problemata, no ignorabitur. Est autem angulus $C A B$ inuentus, 111 part.
53 scrup. Trianguli igitur $A B C$ data sunt omnia latera & anguli.

Secundò proponitur Triangulum sphæricum $A M B$, cuius iam omnia latera nota sunt, uti diximus: nam $A M$ & $M B$ per considerationem sunt deprehensa: $A B$ verò non solum per obseruationem, sed etiam per argumentationem innotuit. Ergo per 13 Copernici, aut 34 quarti seu 3 & 4 quinti de Triangulis, angulus $B A M$ erit 49 part.6 scrup. Hunc aufero ex angulo $C A B$ in primo triangulo inuento, qui erat 111 part. 53.scrup. & notus euadit angulus $M A C$ partium 62 scrup. 47.

Tertium propositum est Triangulum sphæricum $C A M$ cuius duo latera $A C$ & $A M$ cum angulo $C A M$ iam inuenienta nota sunt, ut diximus. Quare per 28 quarti Io. de Monte Regio, aut 11 Copernici de sphæricis Triangulis, complementum tertij lateris $C M$ patesiet: quod complementum est æquale lateri $M G$ in præsenti diagrammate nimirum part. 53.scrup. 49: & hæc est vera latitudo nouæ stellæ. Datis autem tribus lateribus Trianguli sphærici $A C M$, non poterit nos latere angulus $A C M$ per 34 Io.

de Monte Regio, aut 13 Copernici: quamvis cùm illius Trianguli unus angulus notus sit, reliqui anguli etiam per 11 Copernici innotescere possunt. Porro illum angulum A C M metitur segmentum Zodiaci D G part. 7, scrup. 54. Cùm igitur superius longitudinem stellæ fixæ in A posuerimus esse in 28 grad. 59 scrup. Arietis, si illi segmentum D G iam inuentum adiecerimus, colligetur verus locus nouæ stellæ in Zodiaco 6 grad. 54 scrup. dodecatemori Tauri: quod inuestigandum initio proposuimus. Hinc patet nos ubique ipsum veritatis scopum ad amissim attigisse: nam differentia 5 scrup. in latitudine, & 3 in longitudine apud eruditos non habetur alicuius momenti.

De significationibus noui sideris.

Cap. 14.



VID portendat rebus humanis hoc ostentum, quæne sint illius significationes (quod unum maximo studio aut curiositate potius perquirunt mortales) alios audire quam ipse proferre mallem. Nam non modò res est omnium difficillima futurorum prædictio: sed etiam quicquid ex aliqua perspicacitate ingenij, adiumento artis dici potest, id omne plus secum inuidiae quam utilitatis afferre consuevit. Nullus enim est qui audire velit sibi mala & calamitates designari, & à cœlo portendi exitium: omnes ad bona apprehendenda sumus auidissimi, licet non omnes pari studio con-

tendamus eorum bonorum reddic capaces. Nota sunt plura
ma exempla, quām male accepti fuerint vates quidam ob
prædictiones. Ac nuperum est cū quidam à calumnia-
torum morsibus propemodum fuisse oppressus, & dolore a-
nimi exanimatus, nisi fragrantī & grato rose halitu fuisse
recreatus, & rhododactylis protectus: tincta est hominum
peruersitas, ut nihil tam modestè, piè & Christianè dici
possit, quod non malitiosa interpretatione deprauetur, nul-
la tam moderata & amplæ admonitiones, ac commemora-
tione præteriorum casum & exemplorum munitæ prædi-
ctiones à quoquam proferuntur, quibus non delicatuli, quos
conscientia stimulat, clamitent se perstringi, crimen perdu-
llionis committi. Hanc ego unam (vel solam potius) ob cau-
sam maluissim prorsus abstinere ab omni prognosi. Ac-
cessit & altera grauis illa quidem & ingens satis, nimirum
quòd hæc ætas nostra non videatur ullis egere prædictioni-
bus, cū ipsa euentanos urgeant. Vidimus maximas &
crebras inundationes, vīsi sunt aluei maris ita rupti, ut mul-
tas urbes absorperint. Hæc populorum eluuiem præsigni-
ficabant. Terra suo mugitu & concusione visa est nobis,
veluti voce, concionari de venturis calamitatibus, & quasi
conqueri de tetro abusu sui. Et nunc ipsa terra humano san-
guine quasi inebriata, non feruere tantum, sed furere vide-
tur, ac tales ex se gignere, qui nihil magis quām sanguinem
sunt. Sed quid opus est longa horum enumeratione? Ver-
itat quisque oculos in quamcunque orbis partem, & consi-
deret quæ in eo sit: facile profecto mihi subscribet, nos quæ
euentura sint, non tam expectare quām perpeti, & prædi-

ctiones quasi in manibus esse, ob causas quæ olim extiterunt
& antecesserunt, ut verissimè liceat nobis uti proverbio
sancti Vatis illius, qui ideo dicebat dentes posteriorum ob-
stupescere, quod illorum maiores vuam acerbā comedisset.
Vulgo vero dicitur, Quæ intrita fuerunt, ea longo tem-
pore varie quasi coquinando (ut Plautino verbo utar) mi-
sta confusaque posteriori seculo tandem exedenda relinqu.
Salomon derogauit diuinæ Legi male viuendo, & filius Ro-
boam obsequitus malis cōsilijs, tulit paternorum malorum
pœnas. Et nos inter nos dissentimus animis, & in nostros
ciues, affines, cognatos, agnatos, filios nostros, nostra visce-
ra stringimus ferrum, expoliamus & deglubimus alios, cum
simus unus cætus ab uno I E S V C H R I S T O cognomi-
natus. Ferunt Vitellium, Romanam illam belluam, cum in-
ter caduera cæsorum ciuium obambularet, nec quisquam
præter eum, teterrimum odorem ferre posset, palam dixi-
se, Bene olere imperfectum hostem, melius ciuem. At nos
deteriores illo, quando peruersam nostram voluntatem no-
ni scelere explere querimus, etiam in ipsa caduera saeui-
mus. Hæc, inquam, sunt illa ipsauenta, intra quæ consisti-
mus, & quibus urgemur. Quæ igitur hic diuinandi vis
queritur, cum ipsa lectio præteriorum annorū docere nos
possit, tum maximè saeire iram Dei in homines, cum ani-
mis disident, cum sectarum numerus excrescit? Nec enim
causa disidiorum querenda est, quam iustum esse pro se
quisque existimat, sitne ob opes, an ob imperium, ob iniu-
rias illatas, ob pietatem: cum eo truculentior sit distractio
voluntatum, quo pietatis & religionis nomine prætexitur. Ea
videt

videt ætas nostra, quæ superiorum etatum Astrologi, quòd essent euentura, nunquam præuiderunt, nunquam cogitarent. Si quis prædixisset ignem fore ut non caleret, aquam ut non humectaret, insanire dixissemus. At nos videmus maiora: τοπγνην naturæ magis insitam & cohærentem, quam igni calorem, aquæ humorem, odio dilutam euaniisse: frater fratrem, filius patrem, uxor maritum, ad mortem petit: & vice versa ab his parantur illis necis insidiæ. Non defunt etiam quibus nec ara, nec fides, neq; ulla durant fædera, ut cum Aristophane loquar. Deniq; eò propendet malum, ut cùm quis ad has animi perturbationes, quæ omnium hominum mentes occuparunt, ad hæc dissidia, ad hanc sæuitiem Dei, quam mala nostra & errata maiorum nostrorum punit, quæ sunt præsentia, illa quæ futura esse è cælo prodigiis & ostentis quiuis sapiens & gnarus artis prouidet, addere velit, atque præsentia futuris connectere: vereor ne cum ratione desipere voluisse sit existimandus. Olim Horatius suæ ætatis mores insectans cecinit:

Delicta maiorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædésque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulachra fumo.

Et paulo post:

Fœcunda culpæ secula nuptias
Primùm inquinauere, & genus, & domos.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populumque fluxit.
Hac profecto haud incommode nostris etiam hisce tempo-

ribus accommodari possunt, sed nos diuina & humana, prophana securitate cotemnimus: in hoc unum intenti, ut subiecta nobis aliqua soli portiuncula, in ea nostris perfruamur ad satietatem voluptatibus, cælum relinquamus Deo. Propterea futurum est ut, sicut quondam Amyclas perdidit silentium (ut est in proverbio) ita etiam nos euertat prophana illa securitas, efficiatque ut post iucundam illam & dulcem voluptatum consuetudinem, tristes admodum & amaros persentiscamus euentus. Quoniam igitur plus malorum praesentium habeamus, quam ut quis velit suis praedictionibus plura addere, & maiora adhuc his fataliter impendere videtur, nisi filius Dei ea auerterit: superuacaneum profecto est aliquid de futuris euentis scribere. His duabus causis profecto grauiissimis & iam olim permotus fueram, & nunc quoq;, ut ab ipsis Astrologicis praedictionibus abstinerem. Verum cum essem excitatus ad scribendum de hoc nouo ostento, ac plurimi aliud nil quam significationes scire cuperent, de loco stellæ ipsiusq; essentia parum solliciti: illis hac in parte obsequi volui, & ansam criminandi effugere, quod absq; expositione significationum manca & mutila esset huius stellæ tractatio. Dicam igitur aliquid hoc loco de significationibus, & ita attemperabo mea dicta, ut (si fieri posset) iustum reprehensionem euitem: Dei voluntati & iudicio omnia submittens. Hæc prolixius fortè quam praesens locus postulat, dicta esse à me videbuntur, non tamen penitus extra oleas excurrisse videor. Praesens rerum facies, & hominum malitia, cogitatioq; futorum, expresserunt illa mihi. Quo die primum exortum sit nouum istud

sidus, nemo est, arbitror, qui certò referre posse: quamuis
quidam assueverent, mense Octobri conspectum esse: tamen
cui diei exortus illius verissimè adscribendus sit, hactenus
audiui neminem. Cùm igitur principiū exortus incertum
sit, cœlestis constitutio, ex qua potissimum Astrologi augu-
rari consueuerunt, constitui non poterit: tum quod etiam
hoc sidus sit in ea cœli parte quæ nunquam horizontem at-
tingit: sed quomodo aliæ stellæ, ortum & occasum ignoran-
tes, circulos circa polum mundi describunt: ita hoc quoque
sidus circa polum rotatur, neq; cuspidem undecimæ domus
attingens, neq; nonæ domus initium prætergrediens, sed his
veluti limitibus coercitum, eadem perpetuo cum Vernali
& Autumnali sectione (cum qua meridianum attingit) ve-
bitur & reuehitur via. Quid præter hoc amplius Astrolo-
gus habere posse, unde suas prædictiones deducat, non vi-
deo: nisi forte istius stellæ apparitionem ad proximum Au-
tumnale æquinoctium, aut ad proximè ipsum præcedens
nouilunium referri cupiat: in quo habitudines signorum &
stellarum inter se & ad hanc nouam stellam (ut astrologo-
rum mos est) consideret. Verum hic etiam industria quæ-
dam requiritur, ut hanc stellam rite in figuram colloces. Ac
videtur omnino non posse conuenientius collocari, quam se-
cundum gradum cum quo medium cœli tenet vel ipso no-
uilunij Autumnalis tempore, vel proximè antecedente no-
uilunio, aut plenilunio. Et quanquam Hali in descriptione
sui cometæ assumpserit nouilunium proximè sequens appa-
ritionem illius, collocaueritq; ipsum cometem in figura cœ-
lesti infra terram, ubi neq; conspicie neq; sub illud tempus

ad illum locum deuolui poterat, ac Cardanus id ipsum mirificè, veluti magnum quoddam arcanum, prædicet: tamen ego, salvo utriusq; iudicio, illis hac in parte subscribere non possum. Quomodo enim significationes stellæ sumi possint ex loco factō, quem stella corpore suo non attigit, fateor me ignorare. Illud verò tempus pro principio constituere velle, quod cuiq; primum occurrit, planè fatuum esse iudico. Oporteret enim tot esse principia, quot cuiusq; intuitus: deinde tempus illud non iam ex natura, sed vel ex contingenti, vel ex arbitrio hominis penderet: quod nullo modo admitti potest. Ptolemaeus ubi de significatione cometarum tractat, nullam facit figuræ cœli mentionem: sed ex duobus solum locis significationes depromit, nimirum quando illi vel uno signo vel undecim absunt à sole, hoc est vel matutini vel vespertini fuerint: matutini quidem, quando ante solem exorientur: tum enim undecim signis distabunt à sole, intellige secundum successionem signorum. Vespertini verò, quando post solis occasum apparebunt: tum enim uno signo à sole distabunt contra signorum ordinem. Addit Ptolemaeus, matutinos cometas significare mortem Regis, quando videlicet fuerint in tali signo quod ascendit in nativitate alicuius Regis, aut præcipui in regno: aut si etiam fuerit in aliis cardinibus, idem fieri posse. Alij contendūt, eum tantum cometem significare mortem Regis, qui fuerit in ascende, non autem in aliis angulis. Nam si fuerit in medio cœlo benevolis irradiatus radius Solis aut Martis, potius augmentum regni significare, quam mortem Regis. Hali Aben Rhodoan multis rationibus persuadere nititur, quod eclipsis

pses & cometæ damnent solum illos, qui sunt sub ieiuli signo
in quo sunt. Sic Ptolemæi decreta illis tantum cometis ac-
commodari posse videntur, qui oriuntur & occidunt, pos-
suntq; esse matutini aut vespertini. Nostra stella neque est
matutina neq; vespertina, neq; ulla alia cœli domicilia per-
uagatur quam nonum & decimum, ut supra dictum est.
Quare ex Ptolemæi sententia, mortem Regis denuntiare
non potest. Quod si acciderit ut sub hoc tempore aliquis Re-
gum aut Principū huius lucis usuram amittat (quod haud
procul à vera coiectura abesse existimo) dico eum vitæ exi-
tum alio & peculiari cuiusq; fato obuenturum esse, de quo
nunc non libet pronuntiare. Nos hic in genere solum alias
quasdam huius stellæ significations elicere conabimur, tum
ex natura signi in quo est, & cum quo cœlum mediat, tum
ex natura domiciliorum quæ per uagari diximus: ex natu-
ra item & proprietate imaginis cœlestis quam occupat: de-
niq; ex comparatione præteriorum prodigiorum, collatio-
neq; facta rerum præteritarum cum præsentibus, & harum
rursum veluti analogia quadam ad ea quæ ventura sunt.
Quoniam igitur hoc nouum & peregrinū sidus in imagine
humana collocatum est, quæ est conditionis regalis, hominibus,
iisq; in eminentia constitutis, adeoq; summis monarchis de-
nuntiat. Deinde quia per uagari diximus decimam & no-
nam domos cœli, ac etiam subiiciatur signo Arietis stellati
orbis, occupetq; ipsum colurum æquinoctiorum in meridia-
no: indicat subiectas res, in quibus significations exercebū-
tur, tales fore quales per ea loca designantur, nimirum reli-
gio, & quæ ad religionem, leges item diuinæ & humanæ

pertinent, reges, regna, res publicæ, magistratus, &c. Non excutiam hæc scrupulosius aut superstitionis: id solum repeteo, rem consideratione dignam esse, quod exactè culminet cum æquinoctiorum punctis: quæ quantâ vim habeant in generalibus huius mundi euentis, regnorum & rerum-publicarum conuersionibus, legum atq; consuetudinum mutationibus, deinde etiam in particularibus euentis, moribus & ingenii singulorum hominum, quid attinet commemorare? Sed ut certis veluti capitibus breuiter complectar significationes huius stellæ, dico, augustum hunc fulgorem illustrantem memorata cœli loca, noui cuiusdam Regis exortum, & noui regni constitutionem aut reformationem, literarum item & religionis feruens studium portendere. Dico etiam, minitari quibusdam euerionem dignitatis & statutus, aliis verò restitutionem: excidium item R. & magnarum quarūdam urbiū, de quibus dici poterit illud Virgilij;

Et campos vbi Troia fuit.

Denique mirabilem regni & rerum metamorphosin, & inauditam à seculis. Nam

Venit summa dies, & ineluctabile tempus

Dardanias: fuimus Troes, fuit Ilium --

Præterea dico, cùm hoc sidus unico illo motu vniuersitatis, qui verè secundum Deum esse dicitur, in suo parallelo circumvoluatur, sitq; penitus expers omnis alterius motionis, cuius causa generationes & corruptiones, augmentations, diminutiones & alterationes materiae elementorum in corporibus mixtis fiunt: hinc non præter rationem colligi & expectari posse, unius ac solius puræ putæq; cœlestis do-

Etrinæ per fideles atque præclaros in Ecclesia Dei doctores propagationem longè latèq; futuram esse: interea tamen or bem terrarum grauiter concutiendum, ac pios mirifice variis persecutionum generibus ac procellis diuexandos, imò & opprimēdos. Eam autem persecutionem à domesticis & finitimiis, magis quā ab externis futuram esse, ea ipsa stellæ immobilitas firmaq; uni & eidem loco affixio (ut Ptolomæus velle videtur) indicat.

Postremò dico hac noua face, reges, principes, & magistratus populi admoneri sui officij, ut in primis studeant iustitiae, paci, & publicæ tranquillitati, ac de rebus diuinis non somnolenter neque dis̄simulanter curam & cogitationem suscipiant: relaturi trophæum, qui in eo certamine strenuè desiderauerint. Hæc non obscurè insinuari videtur considerantibus ipsam Cassiopen, singulaq; circa eam diligenter expendentibus: ut quòd in solio resideat, quòd item ramum palmae, antiquissimum victorum & pacis insigne, sini stra manu gerat. Quòd verò rursus eadem ita in suo illo solio sedere pingitur, veluti ex eodem esset deiicienda (nam cœli prima illa circumactione resupinato capite fertur, turpiterq; ibi sedere dicitur) hac imagine sapiens & veneranda illa antiquitas, videtur delineare voluisse iustum immodi fastus, superbiae, arrogantiæ & Dei contemptus pœnam mansuram esse omnes, cuiuscunq; hi status & conditionis fuerint. Dicitur fuisse Cassiope Cephei regis Æthiopum coniunx, omnium suo tempore mulierum formosissima, ut Nereidibus nymphis se anteferre non vereretur: ob quam illius iactantiā in indignationem illarū incurrit. Quamuis

autem virtute Persei in cœlum dicatur translata, attamen
 — Quòd alta petiuit Vertice Cassiope verso, inter sidera
 fertur. Quid si hic fatum fandū cuidam ipsi Cassiopeæ ana-
 logo exaratum est? Quid si etiam Cepheus, Andromeda
 & Perseus sanguine & affinitate sibi inuicem iuncti, sym-
 bola sint rerum grandium & admirabilium, quæ nunc per
 analogismum difficiles sunt cognitu, per epilogismū autem
 deinceps perspicuæ fient? Ceterū unde aut à qua plaga
 mundi speretur venturus nouus ille rex & reformator:
 cui item potissimum parti terræ euentus isti impēdent, non
 est facile pronuntiare. Si tamen hīc quoq; ex coniecturis a-
 strologicis de eo pronuntiandum est, dicimus, aut ab arcto a
 mundi plaga paralleloq;, qui per 61 aut 62 gradum ab æ-
 quatore ducitur, expectandum esse (nimirum à loco in quo
 stella stabat) aut fortassis à meridie eò ad regnum acquiren-
 dum & constituendum venturum esse: licet crebrius acci-
 derit ut versus austrum maxima imperia fuerint propaga-
 ta. Omnes etiam euentus iam dicti sunt futuri conspicui in
 illis iisdem locis: ac deniq; in uniuersa illa conuexa telluris
 superficie, quæ proportione respondet 12 aut 15 gradibus à
 summo stellæ fastigio ultiro citrōq; numeratis. Ad tantam
 enim distantiam hanc stellam suos radios, adeoq; occultam
 suam vim & efficaciam orbiculariter diffundere posse, non
 difficile probari posset. Ergo spaciū illud terrestre à borea
 in austrum, per uniuersum ambitum terræ acceptum com-
 pletetur milliaria Germania 360 aut ad summum 450. In
 hoc uniuerso spatio, seu Zona terrestri, quæ loca Arieti &
 Librae subiecta sunt, ea cūdētius aliis sentient vires huius
 stellæ

stellæ. Quādo autem inchoatur si illi effectus, aut quādiū duraturi, hīc astrologia cæcutire videtur. Si quid tamē hīc quoq; proferri potest, apparet citò incæpturos esse euen-tus: sed initia illorum futura sunt adeò tenuia & obscura, ut vix à paucis animaduerti possint, donec manifesta in-crementa ipsumq; vigorem & statum fuerint assoluta. Et quia diu durauit fulgor ille, diuturnos etiam creditur pro-ducturus effectus. Addo corollarij vice, cuicunq; principi-hoc sidus beneficorum planetarum radiis suffultum culmi-nauerit in sua genitura, & nullum impedimentum adfue-rit, huic maxima dignitatis augmenta, actiones fælicissi-mas & grandes, adeoq; regnum pollicetur.

Multi ex hac stella augurantur pestem, bellam, famem, & nescio quid non, etiam ipsum articulum temporis determi-nantes, ac si deorum consiliis interfuerint, aut quasi illis so-lis diuinis cæli aperti essent. Deniq; quicquid olim de come-tarum diris significationibus scriptis proditum est, ea omnia citra delectum accumulant: ac quo quis impudentius hīc fingit, & nescio quæ hieroglyphica mentitur, tanto sapien-tior magisq; scientificus rerum futurarum & interpres my-steriorum esse existimatur: sed nugæ delectant imbecilla in-genia, sicut monstra in picturis. Nos eas significationes pro-ferre sumus conati, quæ ab arte non essent penitus alienæ, & quæ nouæ isti naturæ maximè esse videbātur consentaneæ, quod etiam pluribus exemplis similibüsq; prodigiis luculen-ter probari confirmarij posse. Sed nos duo solummodo af-feremus. Eorum alterum est illud, cuius sup. cap. 4 memini-mus, ex Nicephoro, anno Domini 393. Sequuta est illam

stellam irruptio Gotthorum in Italiā, & destructio Romae per Alaricum. Deinde Vandali & Alani transgresso Reno Galliam inuaserunt. Alterum exemplum recitamus ex fide manuscripti & veteris libri, de duobus aethereis cometis, qui fulserunt anno 1315, & 1316. Hos sequuta est statim grauis cotentio de Imperatore eligendo, post Henrici 7. obitum. Vnde dissidentibus electorum suffragiis, duo electi sunt cæsares, Ludouicus Bauarus, & Fridericus Austriacus: inter quos statim intestina emerserunt bella, quæ durarunt annos octo. Veneta etiam seditio hoc tempore viguit, & Veronæ motus ac Pisæ fuere. Illam verò Hipparchi nouam stellam, & alias quarum sup. cap. 4. facta est mentio, quales sint mutationes sequutæ, historiæ consulantur: ego ab illis colligendis & recitādis studiosè abstinere volui.

Quid piè de hac stella dici possit, & de vtilitate inspectionis ostendorum. Cap. 15.



N cap. 2. nostræ tractationis cum prouocaremus à philosophica schola ad Christianam in excutiēda stelle natura, promisimus nos peculiariter de ea, ex Christiana philosophia aliquid ex professo dicuros esse: quod nunc in hoc postremo capite præstare conabimur. Etsi autem existimemus nos nunquam à Christiana pietate recessisse, siue philosophicè siue mathematicè de hac stella disputauerimus: quin potius ita omnino nobis persuademus, eadem & philosophicè &

theologicè, hoc est secundum veritatem, dicta esse, quæ una
in omnibus rebus est (in qua sententia & olim fui, & nunc
sum, maximè vero confirmatus iudicio magni illius & poly
glotti Benedicti Ariæ Montani, editionis regiorum biblio
rum facile principis: deinde Nicolai Taurelli, philosophi do
ctissimi & verè Christiani, in libello cui titulus est Trium
phus philosophiæ) tamen cum quidpiam amplius adhuc ex
solo Theologiae fonte de ea stella dici possit, peculiari capite
id ipsum absoluere instituimus. Constat ex superioribus, hoc
nouum fidus esse ex eorum Dei operum genere, quæ ipse ex
prudentia sua ab æterno, contra usitatū naturæ ordinem
facere consueuit, neq; id negare quenquam Theologum pos
se existimo: nisi quis adeò ignarus esset tanti operis specta
tor, aut fortasse cecitate percussus à Deo, ut hoc prodigiū
agnoscere nollet. Talia opera Dei nos vocare solemus mira
cula, admirabilia, prodigia, portenta, monstra, ostenta, si
gna, quia aliquid ostendunt, portendunt, monstrant, præ
dicunt: quorum plurimæ sunt species & differentiæ, & pas
sim in sacris Bibliis recitatur: ut est increpatio maris, exic
catio, transitus per illud, liberatio à Pharaone, deletio ho
stium, solis statio & immobilitas, eiusdem retrocessio, pue
rorum in accensa fornace incombustibilitas, &c. Talium
miraculorum scientiam, deducendo ea per usitatas causas,
admodum exiguum, obscuram & penè nullam habere pos
sumus. Sed tamen aliquousq; progredi in inquisitione illo
rum, plurimum ad pietatem & voluntatis Dei cognitionē
prodeesse profiteor. Cum igitur nostra causa fax illa colloca
ta sit à Deo, omnino vult eam à nobis nō ociosis animis con

templari. Et nos igitur mētem nostram in ea exercebimus,
expendemusque quae causae hīc locum habeant, quae non.
Primum autem ordiemur ab efficienti causa. Dubium non
est, ut omnium miraculorum ita huins quoque, Deum su-
premam efficientem causam esse, nec illi ullam aliam coope-
rari. Materia hīc penitus ferē à sensibus & intellectu ab-
stracta est. Nam quali materia Deus usus sit in efforman-
do illo prodigio, dici haud potest: cui aequè promptum & fa-
cile est, ex nihilo, solo verbo, vel etiam qualicunq; assumpta
materia, quiduis facere, & quae maximē discordantis natu-
ræ inter se videntur, ea simul concordi pace ligare, facereq;
coniunctissima. Ut frustra timere videatur hīc Aristot. ne-
quid maculæ aspergeretur cœlestibus, aut ea collabi aliquā-
do & interire necesse sit, si quid elemētaris naturæ illuc de-
feratur: aut viciſſim cœlesti naturæ indignum incōpetēnſ-
ue, in domicilio caducarū rerum aliquandiu hospitari. Cer-
tè stella quae nato Christo illuxit, verè fuit diuinum me-
teoron: & tamen in elemētari regione positum, ac adeò pro-
pinquum terræ, ut & dux fuerit viæ seu itineris Magis, &
domum ubi nascebatur Rex ille æternus, exactissimè mon-
strareret. Non absimile fuit illud quoq; diuinum portentum
in stella Veneris, cuius ex M. Varrone meminit August.
lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 8. in hac verba: In cœlo, inquit, mi-
rabile extitit portetum. Nam in stella Veneris nobilissima,
quam Plautus Vesperugium, Homerus Hesperon appel-
lat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portetum
extitisse, ut mutaret colorem, magnitudine, figuram, cur-
sum: quod factum ita neq; anteaneque postea sit. Hoc fa-

etum Ogyge Rege dicebant Adraſtus Cyzicenus & Dion Neapolites, mathematici nobiles.

Qualis igitur materia huius nostræ stellæ fuerit non inquiramus curiosius, sed potius Dei maiestatem & potentiam celebremus. Posset tamen quis, salua pietate, dicere materiam in qua, esse cœlum, quod in ipso sidus hærere conspexerimus. Materiam ex qua, diuinam potentiam: sed materiam circa quam, esse euentus, seu effectus. Formalis causa est ipsa effigies quam intuemur, cognoscimūsq; illam, distinctionem ab aliis sideribus. Nam substantialem formam, & quæ ac ipsam materiam ex qua, hic penitus ignoramus. Finalis est illustratio, & patefactio gloriae & potentiae diuinæ, consolatione, commonefactio, & confirmatio piorum de voluntate Dei, de liberatione ecclesiæ, & de terrore & pœnis impiorum. Illustrari autem melius gloria & virtus Dei non potest, quam ex eo quod quandoq; præter ordinem naturæ aliquid operatur, promittq; de thesauris suis sua ostēta: qualia plurima reposita habet in archiis suis, vel ut gloriam & maiestatem suam declarat, vel ut vindictam de impiis sumat. Quomodo de grādine & niue Deum Iobo dixisse legimus: Nunquid, inquit, ingressus es thesauros niuis aut grandinis, quæ reseruauit in tempus hostis, in diem pugnae & belli? Dicimus igitur hanc quoque facem prodigiosam, productam esse ex iisdem thesauris Dei, in eūdemq; finem. Ac quod Deus ea face declarare voluerit suam voluntatem, aut saltem de ea homines commonefacere, non obscurū esse potest illis, qui modos & formas patefactionis Dei suæque voluntatis in sacris Bibliis, non ignorant. Nam & in-

ternè arcano quodam mentis afflatu, deinde externè, idq;
vel per angelos visibili specie nonnunquam apparentes, aut
per homines, per somnia, per creaturas rationis expertes (in
quarum numero omnis generis miracula & prodigia com-
prehēduntur) aut deniq; quibuscunq; aliis ac eiusmodi me-
diis, quæ nostro captui esse solent accommodatissima: &
quibus homines permoueri consueuerūt. Sic Magos voca-
uit ad se Deus nouo & insolito illis sidere proposito, propte-
rea quòd essent astrorum studiosissimi indagatores. Iudeos
scripturarum autoritate, quòd illarum volebant esse callen-
tissimi. Et D. Paulus etiam plurimos ex Atheniēsibus ad-
duxit in ouile Christi, ex ara ignoto Deo ab ipsis dicata.
Quid igitur prohibet, si dixerimus, nos quoq; hoc ostento,
quod omnium oculis per uniuersum orbem expositum est, à
terrenis & elementalibus ad cœlestia, à caducis ad aeterna,
à tenebris ignoratiæ & vanitate humanarum opinionum,
ad lucem illam inaccessam, & stellam veræ scientiæ, quæ est
Christus filius Dei viui, vocari & impelli? Moneri etiam
peculiariter omnes gubernatores & præfectos in hoc mun-
do sui officij, tam politicos quam ecclesiasticos (gubernatio
enim utrumque in se complectitur, regnum politicum &
ecclesiam) ut prædicatores, doctores, episcopi, instar huius
stellæ lumine cœlesti illustrati sint, doctrina rutilent, &
vita proba præluceat in ecclesia. Talibus gubernatoribus hæc
stella futura est salutaris: contrà aliis exitiosa: quomodo He-
rodi, aliisque tyrannis, persecutoribus & hypocritis, stella
Christi. Concludimus igitur, Deum, hac noua face homi-
nibus inobedientibus, contumacibus & præfractis, item

collusoribus istis concionari, eōsque ad veram pœnitentiam
ardentemq; sui inuocationem, benignè vocare & inuitare,
ne æternū pereant: pios verò expectatione liberationis
& fine miseriārum consolari, ut in fide firma confirmantur,
& in communi mundi tristitia & anxietate, spem vitæ æ-
ternæ, per filium suum coeternum & dilectū, unicum me-
diatorem & redemptorem nostrū partam accipient. Hæc
ego piè magis quād disertè dicere volui.

Restat ut paucis quoq; ostendam usum consideratio-
nis talium portentorum. Nūquam ea frustra fieri, omnibus
constat. Quis enim facem è fenestra sue domus nocturno
tempore temere exposuerit? Omnibus etatibus iudicatum
est, & comprobatum verissimè, omnibus prodigiis, ostentis
& signis, ideam & seriem euentorum delineatam fuisse: i-
mò quandoq; etiam disertè illis expressa fuisse ventura fa-
ta: ut vel hoc nomine prodigiorum inspectio & trutinatio
nobis debeat esse commendabilior. Nota est historia de Bal-
thasare rege ultimo Babyloniorum, cuius oculis obiecta
est manus in pariete scribens decretum in arcano consilio
Dei latum, idiomate Chaldaico, cōtrase & regnum Baby-
loniæ. Huic alia historia persimilis extat etiam apud Zo-
naram tomo 3, in Iuliano. Eodem enim quo periit die Iulia-
nus, paganus quidam, eiusdem cum deserto religionis, ex
ordine iudicū Antiochiae iuxta prætorium excubans vi-
dit congeriem stellarum in cælo, literas in hanc sententiam
exprimentem, Hodie Julianus in Persia occiditur. Notato
tempore postea cognitum est, eodem die fuisse imperfectum.
Admonet nos etiam ista consideratio prodigiorum vitæ no-

stra, & iræ diuinæ. Quemadmodum enim (ut pius quidam vir scripsit) in repub. bene instituta utile est ciues serio admoneri non solum de clementia & æquitate principis, sed longè utilius eūdem seuerum & rigidum iuris executorem esse. Et sicut olim populus Romanus symbola eiusmodi seu ritatis magno consilio videtur consulibus suis adieciisse, ut erant fasces, secures, virgæ, & ipsos præterea ministros, littores: quibus interdum dicebatur à consule, Lictor expedi virgas, iniice manus, securiferias. Et in re domestica utiliter pueris interdum monstratur virga, adduntur minæ, statuitur etiam correctioni terminus. Ad hunc modum statuendum esse iudico de diuinæ iræ symbolis. Monstrant digressum esse mundum à legitimo rerum usu, peccatum à nobis, expeditas præterea à iudice Deo virgas, superesse tantum correctionis terminum. Id scire hominem utile est, immo plus quam utile, immo necessarium: ne inter oscitantes boni etiā opprimantur, & ne improbi non monitos se esse conquerantur. Proinde hoc rerum genus homines prudentes semper magnificerunt, & diligenter annotarunt, quò sciret posteritas qui effectus ad eiusmodi ostenta consecuti sint. Barbaros etiam & omnis religionis rudes semper percelluerūt, seu nouitate sua, seu specie insolentiori, seu etiam natura dictante futuri alicuius mali esse præsagium. Haec breuiter de præsenti consideratione, ut eam & utilem & necessariam intelligamus. Non igitur simus ociosa animalia ventris, ut torpentibus animis inspiciamus Dei opera: euigilemus ē veterno, & attollamus capita nostra, ac instructi sumus lampadibus, cum prudentibus illis virginibus, sponsōq; iam

iam iam venienti occurramus, ut cum illo ad nuptias &
gaudia sempiterna ingrediamur.

Appendix contra Raimundum & Theo-
dorum Graminæum.

DID IT Raimundus alterū scriptum de stella, sermone patrio, contra quendam, quem ille excellētem compositorem non iurat: contēdentem cometem esse hāc stellam. Hoc Raimundi scriptum et si se- rō admodum peruenit ad manus meas, nimur postquam meam lucubratiunculam omnino concludisse: tamen eo perfecto, cùm cognouissem Raimundum suam brasicam recoquere, suosq; errores vanis & friuolis quibusdam ratiūculis palliare: officij à me semel suscepit ratio postulare videbatur, ut ad ea quoq; sub finem huius nostræ disceptationis responderem, Thrasonicamq; Raimundi iactantiam retunderem. Vrget iterum Raimundus suo scripto, & sola quadam (ut apparet) peruicacia contendit, veterem esse hanc stellam, non nouam: ac auctionem acceptissé ab intēperie raritatis aēris, seu à fumositate sicca, tam latè diffusa, ut obtexerit uniuersam Cassiopen & Vrsam minorem: indeq; factum esse, ut utriusq; imaginis stellæ lumenosiores solito apparuerint. Quòd verò undecima illa omnium splēdidissimè luxerit, euenisce propter spissiores denoresque fumositates sub ipsam collectas: in quo nititur autoritate Ptolemæi, quòd is lib. 2. quadrip. cap. ultimo, id

ipsum voluisse videatur, quando considerare iubet stellarum magnitudines & splendores solito maiores vel minores, hisce verbis: Inerrantium etiam stellarum quasi turbulas aspiciemus, quo illæ colore quaq; magnitudine videantur. Nam si splendidiores grandioresque solito appareant, quacunq; in plaga cœli luxerint, ab illa ventos concitabūt. Quæ verba si quis considerauerit, deniq; quid toto eo capite Ptolemæus tradere instituerit, liquidò deprehendet Raimundi opinioni ne in minimo quidem patrocinari, sed ex diametro repugnare. Constat enim Ptolemæum eo capite docere instituisse, quomodo particulares singulorū dierum prædictiones mutationis aëris sumantur, ex quibusdam phænomenis in aëre & plerisque stellis. In præsenti vero textu, quem adduximus, de sola ventorum prædictione loquitur. Vbi tria potissimum consideranda se offerunt: principio quod Ptol. ibi doceat quomodo prædictiones ventorum in singulos dies sumantur ex quibusdam particularibus affectionibus stellarum, ut colore, splendore & magnitudine: nec quarumuis stellarum absolute, sed earum dūtaxat quæ conglobatae turbellæ facere videntur. Eiusmodi sunt Pleiades, Hyades, siue suculae. Deinde quod unius saltem generis euētus hic prædicuntur. Postremo quod euētus illi non sint plurium dierum, sed unius tantum: propterea quod illorum euētuū prædictio sumatur non ex remota sed propinquissima materia, iamq; preparata: quæ necessario statim producere debebat effectum. Hali commentans eum locum, re. Etè quidem talium apparitionum causam transfert in fulminates siccas: nam illæ quoque materia ventorum esse

statuuntur. Verum neque ex Ptolemæi textu neq; ex commentatore colligi potest, ut ea indifferenter aliis quoq; stellis accommodari, simileq; ex illis iudicium ferri possit, quemadmodum Raimundus accipit. Etiam si autem illud fieri posse concederimus, tamen ea prædictio non nisi diaria fieret. Quare manifestum est Raimundum falso se tueri auctoritate Ptolemæi, ac peruersè transferre ipsius mentem ad alias stellas. Pueri in scholis Raimundi argumentationem reicerent ad fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Nam quod Ptolemæus certa ratione & causa (ut fit in hypothesi) protulit, ex his ille thesin efficere nititur, quæ reliquas etiam stellas in se comprehendenderet. Quamvis autem dicat plures stellas esse in cælo, quæ simul iunctæ turbellam faciant decem, quindecim & viginti stellaram: tamen quia diserte non indicat in quamam imagine cœlesti tales conspicantur, merito talia phantasmatata rei- cimus. Hæc sufficere posse existimauerim ad euersionem eorum omnium quæ à Raimundo porrò comminiscuntur. Sed tamē quoniam toto suo libello in suis illis fumositatibus volutatur, ut sui errores eo magis essent conspicui, paulisper hic pedem figemus. Primum demus Raimundo illas fumosi tates causam fuisse illuminationis nostræ stellæ. Ea causa nō potuit alium effectum producere quàm ventorum flatum: & si durauit causa, durare etiam effectum oportuit. At qui non erant assidui, & præter solitum, eo tempore ventorum flatus. Ergo fumositates (quæ sunt proxima ventorum cau- sa) illic esse non poterant: deficiēt enim materia deficit effectus. Interea vero perseverauit stellæ fulgor. Cōsequitur

igitur fumositates Raimundinas causam illuminationis stellarum, præter solitum, esse non potuisse, falsissimeq; ab ipso affirmari utriusq; imaginis stellas ob eam causam lumino-
fiiores solito apparuisse. Deinde, demus etiam Raimundo fu-
mositates suas tam latè diffusas fuisse, ut obtēderint totam
Cassiopeam & Vrsam minorem: respondeat vicissim, cur
seruata magnitudinem stellarum analogia, non etiam reli-
qua stellæ amplius solito fulserint, præsertim verò illa par-
vula vicina nouæ nostræ. Etenim nunc demum (tametsi o-
biter, & quasi aliud agens) confitetur illam, qui priori scri-
pto accerrimè negabat ullam dari posse in magna cœli di-
stantia, valideq; detonabat in eos qui contrarium assueva-
bant. Verùm ne palinodiam canere, & suæ opinioni cū tan-
ta audacia assertæ maculâ aspergere videretur, mox suam
confessionem, quam ipsi veritas extorxit, suis fumositatibus
offuscat. Cur, inquam, ista à se confessa stellula, quam nos
undecimam esse probauimus, non aliquo modo saltem lumi-
nosior apparuit, ob easdem spissiores dorsiōresq; fumositates,
quibus obiectas esse voluit omnes utriusq; imaginis stellas?
Si dicet nullam fumositatem illi stellulæ obductā fuisse, non
modo sibi ipsi contradicet, verùm etiam mirum fuerit quo-
modo tam angusto eo in loco fumositates illæ se cogere potue-
rint, ut non amplius occupauerint spatij, quam quantum so-
la illa sua undecima. Hic iterum pueri in scholis unico ver-
bo reuicerent Raimundi cauillationem ad eum locum qui
dicitur in Logicis à nō causa ut causa. Et si quis singula ex-
cutere vellet, ubiq; deprehendet illum esse asystaton. Illud
quoq; quam ineptum est, ubi dicit, ideo suam stellam unde-

cimam nouam esse non posse, quia sit diminuta corpore & lumine! Quod falsissimum esse nemo est qui non videat: contrarium autem huius verum esse, ideo nimis devenisse decrescere, quia noua. Veteribus enim nihil decedere neq; decessisse animaduertimus. Sed quid magis fatuum à Raimundo dici potuit, quam phantasticis suis fumositatis bus libertatis voluntatem adscribere? Quid magis à ratione alienum, quam normam illarum fumositatum statuere niues, glaciem & ventos? Ut intereat a tecum, quod duo ista sibi inuicem è diametro aduersantur. Nam ferri ad normam alterius, & moueri libera voluntate, se mutuo tollunt. Rursus alio in loco, eas fumositates in zona temperata cohibet, indeq; vaticinium extruit, futurum esse aliquando ut ea in parte cæli, & sub tali constitutione aëris, simile phænomeno sit exoriturum, quod rerum ignaris admirationem sit allaturum. O egregium prophetā, qui ex fumositatibus, Dei opera admiranda se prædicere posse existimat! Præterea, quomodo hæc quoque simul stare possunt quæ affert, videlicet color stellæ croceus & splendidus qui Veneri adscribitur, cum fumositate sicca? Venus enim fumositatis humidæ est effectrix, Mars sicca. Istis & pluribus antilogiis mirificè agitatur Raimundus: ut quid certi ex eo colligas, habeas nihil. Id accedit illis, ut qui semel à veritate aberrant, in maiores subinde incident errores & absurditates: ex quibus seipso difficulter extricare possint. Pergamus ad reliqua. Ut saluaret durationem tantæ illuminationis, iterum ad suas fumositates relabitur, quas delatas esse dicit usq; ad supremam aëris regionem: ibi q; tranquillas diutius

hærere potuisse. Nam, inquit, si illæ in infima aëris regione substitissent (quæ vētorum domicilium est) illorum vi suis sent displūs & disiectæq; at in supremam aëris regionem de latæ non item. Quod exemplo altissimorum montium confirmat: in quorum summitatibus dicit aërem esse quietum, subindeq; quietiorem quanto is sublimior fuerit: propterea etiam fumositates altius sublatas, & à ventorum agitatio ne liberas, diutius ibi hærere potuisse. Addit Raimundus, impossibile esse, quin in suprema aëris régione remanserint fumositates siccae, absq; accensione illarum, tum cùm descenderit nix. Ego vero dico, si ea fumositas sicca delata est ad supremam aëris regionem, diu illic commorari non potuisse, quin accensa aliquod igneum meteoron produxisset: modò quis ipsam materiæ habilitatem efficientemq; causam considerauerit. Dico etiam, ipsam naturā fumositatum haud ferre posse ut uno in loco duos, tres, quatuor, & amplius menses hærere queat. Insuper addo, eas fumositates, hyberno tempore, ob gelu constrictam terram, minimum generari posse. Atqui nullum igneum meteoron à nobis conspe cillum est. Sequitur igitur nullas illuc fumositates deferri potuisse. Sed neque altitudo fumositatum necessaria causa esse potest durabilitatis. Vidiimus enim saepe & cometas & alias igneas impressiones illic accessas, non semper diu durasse, quas tamen oculis conspicere, & de materia subiecta a liquo modo iudicare potuimus.

Hic vero an istius materie fumosa quidpiam eò delatum sit, solummodo phantasmata speculatur Raimundus. Quod ad tranquillitatem aëris attinet in locis sublimibus

Et montibus altissimis, concesserim illic saepius quietiorem
 aërem fieri: non tamen dixerim penitus ventorum exper-
 tem, cum infima hæc aëris regio, proprium ventorum domi-
 cillum, circa terram sursum (iuxta philosophos) aliquantu-
 lum spaciū obtineat: quod Plinius ex Posidonij sententia,
 recitat esse 40 stadiorū. Sed sicut plurimi loci in Plinio de-
 prauati sunt, præsertim ubi numerorum fit mentio: ita hīc
 quoq; si pro 40 quadringenta legere velimus, eſſet dignum
 tanto viro: ea enim distantia conuenit fere cum ea quam
 Geometricæ demonstrationes indicant. Humiliora vero
 loca crebrius etiam contrariis perflari ventis, tum ob inae-
 qualitatem terræ, vicina flumina, & montes, tum ob alias
 causas: quod non sit in altissimis montibus, ubi ventus fit u-
 niusmodi, & veluti aura leuis. Quamuis igitur illæ fumosi-
 tates immediate sub secunda aëris regione consedissent, o-
 portebat tamen illic quoq; eas aut à ventis perflari, aut in
 ventos citò dissolui, aut saltē inaequalitatem aspectus, ob
 radios refractos, parere. Quorum nihil est obseruatum: sed
 eadem stella perpetuò, tam in acclivo quam in declivo me-
 ridiano eandem semper visa est referre & aspectus for-
 mam, & ad reliquias stellas distantiam. Dicere vero etiam
 fumositatem illam ita unā cum stella motu primo tractam,
 rationi repugnat. Constat enim inferiorem aëris regionem,
 non ita conueriti primo motu, ut superiorem illam, in qua
 species ignium conspicuntur. Cum igitur neq; in suprema
 neq; in infima aëris regione locus esse ullus posſit iſtis fumo-
 sitatibus, relinquitur eas in fumoso Raimundi cerebro na-
 tas, ibidem adhuc hærere, & parturire noua deliramenta.

Plinij lo-
 cus corri-
 gitur.

Sed ut hæc omnia qua hæc tenus dicta sunt de istis cōmentitiis fumositatibus, uno veluti fasce colligam, hoc sequens dilemma ex hypothesis Raimundi in eundem vibrabo.

Dilemma in Raimū dum. Illæ fumositates sunt aut in suprema aut infima aëris regione: si sunt in suprema, illic eas accendi & aliquod igneū meteoron producere fuit necesse. Si in infima, oportebat eas aut mox à ventis dissipari, aut inæqualem aspectum stellæ nobis offerre, aut inæqualiter moueri. At qui neq; accensas fuisse vidimus, ut produxerint aliqua meteora ignea: neq; dissipatas & in ventos solutas conspeximus: neq; ullam euariationem visus deprehendimus: neq; in motu ullam anno maliam obseruauimus. Sequitur ergo quòd in nulla earum regionum aëris esse potuerint: & per consequens nusquam fuisse nisi in sola phantasia Raimundi. Hæc pro veritatis assertione in ista appendice dicere, ac fumos Raimundinos, quos nobis obtrudebat, in ipsum repellere volui. His fumositatibus enim bonus iste Raimundus non modo armatum se putat aduersum cornicum rostra (cùm ipse nihil aliud agat quàm cornicetur) verum etiam stulta philautia ebrius factus est: dum protestatur se deinceps nihil scripturum de hoc negotio, etiam contradictionibus aliorum prouocatus. Quod ut philosophicum non est, ita ab officio boni viri valde alienum. Est enim & minimè aperti hominis, & eiusdem etiā malitiosi, cùm de grauissimis rebus disceptetur, eorum notitiam omnibus detrahere: se verò omnium rerum finge resciēticum, & sub promissa contestatione silentij, triumphum sine victoria canere. Sed silentij pater pudor est, & pudor ab abiectissimis etiam metuit ignominia & reprehensionem:

bensionem: cùm verecúdia non nisi apud præstantiores, cen-
suram timet. Quanto igitur satius fuerat in primo silen-
tio authoritatem retinere, quām euulgata istarum fumosi-
tatum sententia, aut potius amentia, suam prodere insci-
tiam, eamq; postremo, eoq; turpis silentio velle defendere? Is
enim doctissimus est, qui veritatis est cupidissimus, non qui
eam vel impugnat, vel malitiosè occultat: & qui de sua u-
nius iudicat quidem sententia, pro superbo potius quām e-
rudito habetur. Huic stultæ Raimundi arrogantiæ ego op-
pono hoc Platonis præceptum, ex quinto de legibus. Omnia
malorum summum nobiscum nascitur, cui omnes veniam
dant, nec eius leuationem desiderant: quod videlicet unus-
quisq; sibi amicus est natura, & suis opinionibus delectatur.
Sed reuera hic morbus, quo singulinimum sibi placet, fons
est omnium errorum & delictorum in vita. Quia amor est
cæcus, & facile decipitur circa rem amatam. Ex quo fit ut
non recte iudicare possit ea quæ iusta, bona & præclara
sunt, cùm anteceptis opinionibus impediatur. Neque vero
magni viri est, se suaq; immodicè amare, sed acquiescere in
iustè factis, seu propriis, seu alienis. Nam hoc errore fasci-
nati putant se multum sapere, cùm nihil intelligent, cumq;
omnium rerum scientiam sibi arrogant, nolunt artificibus
cedere, atq; hoc modo turpiter hallucinantur. Proinde de-
cet hominem fugere & formidare stultam admirationem
sui. De prognostico quæ scribit, ea impugnare nolo, tū quia
in his minus errare uidetur quām in aliis, tum quia hæc pe-
cularia & velut specifica cuiusque ingenij esse soleant, ac
procedat (ut recte Ptol. protulit) à natura seu genio cuius-

Q

que, & à scientia: si tamen illud cōsideretur, quòd Raimundus cuidam Heroi deiectionem, alteri euectionem ominatur, non multum abesse videtur à meis cogitationibus.

Incidi etiam fortè fortuna in librum Theodori Graminæi Coloniensis, de hoc ipso negotio (ut titulus præ se ferebat) lingua vernacula scriptum: magnum illum quidem, si numerum paginarum quis spectet, exiguum vero, si rem ipsam expendat. Nam cùm de nouo hoc sidere scribere insti tuisset, pauculas de eo pagellas consumpsit, ac tenuiter ieunneq; satis: quæ nūc fusius prosequi nō libet, propterea quòd quæ nostra effet de eo sidere sententia, abundè à nobis in superioribus sit explicatum. Infar sit Graminaeus suo isti libro plurima & varia, ut uniuersus liber nomine Quodlibeti aptissimè inscribi possit. In eo enim præter ea quæ de stella commentatus est, & sphæræ circulos tradit, & cœlestes imagines ex Hebræorum (ut ait) fontibus nouo modo explicat, & cometem illum anni 56 describit depingitq;, & de primatu Romanae ecclesiae differit, & cum laruis pugnat, & scripta dicta q; aliorum calumniatur: malitiosè etiam ac perfidè, sub nomine Sennacherib, Nabuchodonosoris, Antiochi & aliorum, Christianos principes crimine ha reseos & tyrannidis notat, quodq; illi sint persecutores Ecclesiae Dei, disertè nominat. Dicit enim Septentrionem semper dirum & execrabilē fuisse Ecclesiae Dei, ac Septentrionis matrem esse Saxoniam, filias vero Magdeburgum, Brandenburgum, Misniam, Mechelburgum, &c. Quos omnes accepisse dicit spiritum venenatū contra Dominum: deniq; pretextu significationum huius stellæ, multa commi-

niscitur, scelerateq; ad suam virulētiam obtegendam abutitur sacrarum literarum testimonii. Ego igitur, qui hactenus pro veritate cum quibusdam de hac stella placidè & citra omnem animi amarulentiam depugnaui, huius quoq; Graminæ scripta, ex sylvestri & inculto gramineto hauſta, haud quaquam silentio prætereunda esse existimaui. Principio quæ de stella scribit, nouam eam esse censens, non habet in quo à me reprehendi posſit, niſi quod existimaue- rim ex officio suo (qui Astronomiæ professorē illic agat) po-tius obſeruationibus & demonstrationibus mathematicis suam illam assertionem & alia, quam cabalisticis futilita-bibus fulcire debuisse. Quæ vero de significationibus stellæ profert, in eo magis affectum suum prauum quam rectum iudicium sequi videtur: quem tamen malitiosè obuelare co-natur sacrarum literarum testimonii, falsò & iniquè de-tortis. Quæ nefaria fraus & impostura, ut euides & per-ſpicua fiat, hic pedem figamus oportet, idq; tanto studiosius, quanto nobis charior esse debet pietas & veritas, ac sacra-rum literarum incorrupta autoritas. Nō persequar autem omnes suas ineptias & sycophantias, sed ſolum ſumma quæ-dam & præcipua. Probare nititur Septētrionem incolasq; illius, perpetuò fuiffe, & etiamnum eſſe, Meridiei, hoc eſt Ecclesiæ Dei, infestos: ac polo Arctico attributas eſſe Vrſas & Dracones, ad designandum inde exorituros eſſe va-statores & ecclesiarum tyrannos: quos significari dicit per Vrſas & Dracones. Hoc ut adſtruat, colligit quicquid uſ-piam de Vrſis in ſacris Bibliis proditum eſt. Verūm ſiquis o-mnia ea testimonia accuratiuſ expenderit, calumniatorem

Graminæum fatebitur. Nam neq; ex citatis à se locis, neq;
ullis aliis (quod equidem sciam) deprehendi potest, ut Vr-
sarum nomine persecutores ecclesiarum denotaretur. Ne-
que Teglatphalaarem, neq; Salmanasarem, neq; Nabu-
chodonosorem, neq; Sennacheribum, neque Nabusardam,
neq; ullum Ecclesiæ Dei hostem, scriptura uspiam Vrsūm
aut Draconem appellat. Per aplos autem & lupos sapissi-
mè tyranni & populi Dei hostes figurantur. Peritiores
theologi, etiam ex modernis, ex quorum numero vere prin-
ceps est, & meo iudicio quibusvis antiquis ecclesiasticis scri-
ptoribus præferendus, aut saltem pari lance conferendus,
Benedictus Arias Montanus, quadruplicem significatio-
nem Vrsorum, ex sacris Bibliis, in suo apparatu Regiis Bi-
bliis adiuncto haurit, nulla persecutorum ecclesiæ mentione
facta: quem, qui volunt, videre poterūt. Sed esto, designent
Vrsa & Draco persecutores illos ob quandam proprieta-
tem naturæ eorum animalium: quid dicet Graminaeus de
aliis imaginibus, quæ sunt meridionaliores? Si Draco & Vr-
sa genitores sunt hostium Ecclesiæ Dei, cur eosdem hostes
procreare non possint Serpēs, Lopus, Hydra, caput Medu-
sa, diaboli vulgo dictum, & aliæ bestie, non modo æquè tru-
culentæ ac Vrse, sed etiam ob venenū pestiferæ nocentissi-
mæq;. Si quis etiam accuratius introspicerit verbum Pro-
phetæ, quod adduxit Graminaeus, cognoscet Deum non lo-
qui eo loco de persecutoribus Ecclesiæ, quòd illi perpetuo
ab Aquilone sint venturi ad opprimendam Ecclesiam: sed
minari solùm populo suo, quòd ab Aquilonari Chaldaea ca-
lamitas à Deo soluta ventura sit contra incolas terræ san-

Et. Et hoc sensu in sacris literis sèpius Septentrio, Assyriam Chaldaeam regionem significabat, & ipsam regiam urbem Babylonem, quòd ea pars Israelitis Septentrionem versus sita esset. Interdum etiam Medium significabat, ratione ad Babel relata. Quòd igitur Deus peculiari prouidentia gentem peregrinam Chaldaeos, quam ratione situs septentrionalem vocabat, interdum excuerit ad diuexandum & affligendum ob peccata suum populum, hæc non possunt similiter accommodari ad omnes alias regiones, nisi velimus Scripturæ vim facere. Et nunc Christianitati quis magis infestus quam Turcus, qui non versus Septentrionem, sed versus Oriëtem & Meridiem situs est? Quid quòd in sacris literis interdum à Septentrio ut Auster, tribulationem significat? Sic Esaïæ 26 Deum spem à Septentrione, umbraculum à Meridie vocat. Non minus abutitur Graminæus eo dicto Prophetæ dicentis, Ab Aquilone pandetur omne malum, quasi Aquilo Meridiei, id est populo Dei (ut ipse interpretatur) perpetuò esse debuerit infestus. Atqui Prophetæ eo dicto non aliud significare vouluit, quam diuini verbi impetum, vim & efficacitatem, nubes omnes vanitatis disficiemt, ut eruditè & piè interpretatur magnus ille & doctus Arias Montanus. Sed dicat Cabalista Graminæus unde Galliæ & Belgici vastatio? Quæ Vrsa illuc penetrauit? Vrsâne aut Draco à Septentrione, an Canis & caput Medusæ, violentissima sidera, à Meridie & Occidente, horrendam illam bellorum facem excitarunt, quæ tanto sanguine necdum restingui potest. Sic igitur, iuxta Prophetam, à Septentrione ingenti

diuini verbi vi, & maximo impetu patefactæ & disiectæ sunt vanitates illæ ac commenta hominum, quibus obruta & penitus ferè oppressa erat Ecclesia Dei. Desino persequi alia. Illud autem libentissimè concederim Graminæo, quod typum Ecclesiae Romanae faciat ipsam Cassiopen, existimoq; nihil verius ab ipso dici, nec ulli alteri imaginis cœlesti rectius comparari potuisse. Verum an ideo mala Septentrioni denuntiari videantur, quod dorso illi pingatur obuersa: Meridiei autem bona, quod facie illam intueatur, non facile subscriperim. Nam Cassiope non nūc solum ita sedere pingitur, sed iam olim ante multa secula. Itaque significatio illa Graminæi est friuola, ridicula & planè fatua: imo, si hic cum Graminæo ineptire licet, cum noua stella constituerit ad clunes Cassiopeæ, ac illos & dorsum uniuersum, non verò anteriora illustrauerit, cur non clunibus & dorso bonum & lucem, faciei verò & anteriori parti econtrario malum & tenebras ominatur? Sed omittamus istas ineptias, quæ isto loco indignæ sunt: attingere autem eas oportuit, ut palam fieret Graminæi futilitas, & calumniandi studium cum virulenta iniquitate coniunctum.

Durauit hoc sidus à prima sui apparitione usque ad plenam suam dissipationem vel amotionem ab oculis, menses integros 14. Nam Ianuario mense huius anni 74 aspergante me cælum, nusquam conspici, ac ne vestigium quidem, ubi constituerat, amplius notari potuit. Quid nunc dicent illi qui acriter contendebant non nouam, sed veterem esse? Comigrasse forsan in remotiora à nobis domicilia, aut

interpositam esse maceriem, ut nequeat conspiciri, comminiscuntur. Sed quia sensim diminuit visa est, ac tandem etiam penitus desit, ipsa veritate victi, velint nolint, tandem facili cogentur ipsorum in asseueranda opinione peruvicacem amentiam fuisse. Deo aeterno Patri, cum Filio & Spiritu sancto, pro patefacta veritate,
sit laus & gloria.

IN NOVVM COMETEM

T H . B.

Iste nouus nullo furiali crine Cometes,
Et radians puro cui nitet igne iubar,
Ecquid portendat terris, Deus ille Deorum
Nouit, & ostendent tempore fat a suo.
Quod si humanae aliquid possunt præscire mentes,
Talia scrutari nec mihi signa nefas:
Hic ille est, olim paruam Davidis ad urbem
Duxit ab Eo qui prius orbe Magos.
Et qui nascenti præluxit, nunciat idem
Ecce redux reducem rursum adesse Deum.
Huic igitur felix o turba applaude piorum:
Tu vero Herodes sanguinolente time.

In eundem, Melissi.

Proxima Cassiope gyro que circinat Arcton
Par radius stellæ, stella serena, Iouis,
Est oculus Christi, caram qui lumine fixo
Cautibus in duris aspicit Andromedam:
Andromedam rigidis vincit am sua colla catenis,
Cui variis inhiat bellua seu a modis.
Euge metus inter medios Ecclesia gaudet:
Seruator Perseus hic tibi verus adeſt,
Qui Babyloniæ caput abscidit enſe Medusa.
Ille etiam dedit cetera monſtra neci.
O tuba præcentrix venientis in aere Christi,
Optatos miseræ clange repente ſonos.

NOVÆ VEL NOTHÆ POTHÆ
tius, in cælo nuper exortæ & adhuc lucentis, Phæ-
nomenon descriptum & explicatum.

Autore Paulo Fabricio Med. Doct. Cæsaris Mathematico.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS ac Dominis. DD. Matthiæ & Maximiliano archiducibus Austriae, &c. Imperat. Rom. Maximil. II. filiis, Dom. suis clementissimis, &c. Paulus Fabricius M.D. Cæs. Mathe. de Phænomeno nouæ Stellæ scripturus, S.



I s i metuissim, Serenissimi Archiduces, fore ut officio meo deesse dicerer, de noua hac Stella nihil scripsisse, multas quas nūc omitto ob causas. Verūm quia illa tam diu in cælo consistit, & multorum bonorum literæ frequenter me inuitant ad dicendum sententiam meam, cōmittere non possum quin ipsis gratificer, & officio quoque meo debitam præstem Vestris serenitatibus operam. Itaque primò historiā Stellæ cum apposita figura exponam. Postea quo loco consit, quis eius motus, vel proprius vel alienus, quod tēpus apparitionis & durationis, quæ magnitudo, quis ortus & occasus, qui color ac radij, naturalisne an præternaturalis, qualis haberi debeat, fixane an planeta, meteoron ne an aliud ostendit, cometæ confine, & similia, cōsiderabo: & quid inde spectari debeat, coniecturis non fallacibus colligam, saluo omniū qui de hac scribunt iudicio.

A N T I Q U I T A S studiosa rerum cœlestium, memorię causa certum numerum stellarum figuris & asterismis circūscripsit. Ex his est & figura Cassiopeæ, quæ infra depicta in sella sedet, sub cuius tergo magna appetet Stella, quæ illa ipsa est

de qua hic agitur. Dico igitur intra asterismum Cassiopeæ in sede apparere præter 13. ab antiquis annotatas, decimam quartam stellam, quæ in creatione mundi cum aliis non condita est, sed sub Octobris finem anno 1572 lucere cœpit, & hodie usque ad 6. Aprilis, id est ad sextum mensem, durat & luceat. Primo quidem lucida, valde magna, ad sensum nō parum maior lucida in cane maiore: quæ stella maxima est & lucidissima earum quas nos celo fixas spectamus: cuius etiam colorrem (sicut & Iouis ac Veneris) adhuc in Decembribus principio referebat. Tunc enim (quauis æger essem, & aeris peristasis mihi aduersa) saepiuscule ex hypocasto spectavi, stellasque proximas notaui. Quumprimum per valetudinē licuit, in aperito aere vidi, & alios quoque asterismos contuli. Cœpit autem adhuc in Decembri diminui, & sensim magis magisque rutilescere. 6. Aprilis anno 73. circa 10. horam nocturnam vidi adhuc ea magnitudine & colore prorsus quo lucida caniculae fulget, videturq; minus quam ante ruffescere: quanquam hoc accidere potuit propter lucentem Lunam. Omnibus autem Cassiopeæ lucidis dupla adhuc ferè erat, cū lucidis proximis in Cassiopeæ asterismo trapezium rhomboidi propè simile constituit, ut pictura ostendit: quæ & parallelum æquatoris quotidiana reuolutione à stella descriptum, circulum arcticum & viciniorum asterismorum positum, utrumque etiam polum, tum ellipticæ tum æquatoris commonstrat. Linea transiens per lumbos Cephei & faciem Cassiopeæ, à polo ellipticæ educata, eius circuli est portio, qui per primam Arietis transit. Atque ex eo appareat hanc stellam à 1. * Ar. in longitudinem 8. partibus 24. quasi scrupulis primis in sphæra stellarum fixarum locari: ab apparenti vero æquinoctio verno versus colurum solstitiorū una duodena 6. partibus, 14. scrup. distare, id est post 6. gradum in 14. scrup. Tauri (ut vulgo loqui mur) versari. Locus latitudinis ab ellipticas 4. gradū 12. scrup. primorum propè. Quantum autem diligentि obseruatione ac inspectione notaui, immotum deprehendi, eodem in loco quem adscripti. Proprium ergo motum adhuc usque nullum habuit.

habuit. Iam verò de loco eius à centro terræ vel huius superficie cogitans, inspexi eam in diuerso positu & in meridiano & semicirculi eclipticæ apparetis medietate, id est 90. gradu superiorius ad verticem, & inferius ad horizontem, item in abside declivi paralleli sui, quo motu quotidiana reuolutionis in latera traducebatur. Inueni (sicut & alij periti quidem & scorsim obseruantes) semper eandem à stellis fixis distâiam. Stellæ autem fixæ parallaxim ad superficiem terræ nullam habet, quia remotissimæ: Ergo & hæc stella parallaxim nullam, aut insensibilem habet. Ex quo sequitur quod nec in clementari regione, neq; infima ætherea circa lunam locetur: sed si non sub sphæra stellarum fixarum, saltem Iouis sphæram attingat. Quæ quidem res mirabilis est. Aliis enim cometis hoc nō contingit, qui inferius flagrant, & motu feruntur quoq; proprio, & crinem vel caudam habent, nec tam puro lumine vt hoc phænomenon lucent, ac vt fixæ aliæ scintillant: sed lumine luro quasi agitata in materia impura flamma apparent, terræ proximi sunt, & parallaxim magnam valde admittunt. Hinc etiam colligi debet valde magnam esse & terræ molem superare. Si quis planetam esse contendat, tanto portentosius erit ostentum, si huc loci planeta vagetur. Verùm id non esse cœlum ipsum testatum est: quia tōto Nouembri omnes planetas numeratim vidimus. Et ne de Mercurio dubiū oriatur, testor me meis oculis eum sèpius vidisse: nullo enim tēpore melius spectatur quam in Nouemb. Decemb. & medio Ianuario, vt quotannis solitus sum obseruare. Optimè tamen eum & claram, quāitate stellæ secundæ magnitudinis fulgentem, cum nulla fixarum quoq; amplius luceret, nubibus minimè impeditus spectavi die, 10, 12, 13. Nouēbris in aurora. Et 20. die Nouemb. itidem integra media hora ante 7. matutinā obseruauimus Saturno coniunctum: & deprehendi secundum longitudo dinem eius locum cum Copernici calculo bene conuenire. De latitudine nunc nihil dico, quæ quidem si aberret, non statim tabulis culpa irrogari debet, donec parallaxis Mercurij sit rectè considerata. Sicuti nec tabulis statim imputandum si

eclipsium tempora non rectissimè conueniant, sed potius longitudines locorum diligentius prius indagandæ. Fuit autem frequens Mercurij cum Saturno commercium, causa frigidissimæ ac siccissimæ hyemis, & non hæc stella, quæ potius serenitatem ac ventos excitare debebat. Nunc constat itaque etiam nouam Stellam non esse planetam. Restat ut considemus an hoc phænomenon sit ex iis quæ inter meteora Cometæ vocantur. Id nec omnino nego, nec omnino affirmo. Quia tamen cum vulgo apparentibus cometis (hoc vocabulo & alias species globorum ardentium comprehendendo) accidentia pauca habet, & alia ferè omnia cum stellis fixis communia, in eam partem, quod stellis confinis sit, magis flector. Sed de hoc cum nemine verba commutauerim, iudicium liberum cuius relinquens. Motus accidentalis, quem cum stellis fixis habet communem in quotidiana conuersione, Stellam nouam nobis nec occidere nec oriri facit, proptet sphæram nostræ ampliorem inclinationem. Exposui haec tenus, serenissimi Archiduces, astronomicas circumstantias nouæ & nothæ (sic enim libet nominare) Stellaræ. Scio magis à me desiderari astrologicum iudicium: vaticinia namque curiosè & audiūsculè requiri scio. Quandoquidem autem hæc Stella adeo multa præter naturæ habet morem, non tantum eum qui in astris & eclipsibus ordini naturæ conuenit, (hæc enim in portentis habeti non debent quæ prædicti ex ordinatis causis posunt, & à principio sese eodem modo habuerunt) sed etiam in illo qui meteoris & ostentis visitatus est: quid dicam secundum naturales ordinatas causas? Certè quin magnum habitura sit effectum, dubitare nemo debet. Sed quia indicatrix causa est extra naturæ ordinem propemodum remota, cœnitus etiam talis erit, qui humano iudicio ex naturæ visitato modo non facilè patefiet. Vtriq; tamen satisfieri spero posse, ita ut nemo nisi malignus suggillare possit, & curiositatis arguere velit. Si quis dicat frustra collocasse in hoc ampio mudi Theatro Deum opt. Max. inter Stellas primitus conditas, tam illustrem & semper supra horizontem nobis versantem hanc no-

uam Stellam (quasi non inspici velit, imò considerari etiā singulariter postulet) is temerarius & singularium Dei operum improbus æstimator meritò habendus est. Quare ego primis omnino colligo vnum esse, & quidē primariū ex iis signis, quæ Deus seruator noster humanissimus prædixit proximè præcessura calamitates supremas mundi, & nouissimum diē ipsum. Vulgò nuper sparsum est, fuisse qui huius Stellæ apparitione inductus dixerit, 12. Martij anno 73. fore nouissimum diem. Quisquis ille fuit, ut temere & blasphemè tempus diffiniuit, ita de propinquitate nouissimi dici non malè iudicauit. Quod reliquum est, committo Theologis, qui admoniti hoc spectaculo præternaturali, admonebunt homines de pœnitentia, de fide, temperantia, vigilantia & oratione, & conferēt coelesti illi ostento etiam quæ inter regna, imperia, hominum denique priuatos sunt mores in terra nostra. Reliqua quæ ex Astrologicis afferri huc possunt, nō ab ludunt à doctrina cœlesti, nempe imperiorum significari & legum mutationes, litterarum interitum & succrescentem barbariem, in primis autem ingentes turbas religionis ergo. Quæ quidem omnia officiorum humanitatis subversionem inferūt. De magnatum morte non ausim expressè dicere: alij quidem Cometæ id eventu fere semper comprobarunt. Sed quia hæc tam diffinis illis est, nolim mihi vnam hirūdinem ver efficere. Interea magis metuo tristes casus quam bene spero, quia diuturnitas illa me non parum mouet, & immobilitas, & locus, ut non tantum diurna, sed multa & varia timeam in omni hominum ordine. Neque euidenti villa coniectura licet assequi quam diu adhuc durabit, aut quid aliud huic Stelle euenire in motu, loco, lumine possit. Siquid tamen eueniet, non prætermittam obseruare & indicare. Hoc ego uno verbo dico, meritò istum insolētem de cœlo præconem nobis magnum metum incutere debere, cùm propter sacra oracula quæ nō fallacia sunt, tum propter ea quæ ex astrologia non omnino vana coniectura adducuntur de loco scilicet, de immobilitate, de apparitione supra horizontem perpetua, quæ quidem ap-

partio omnibus regnis & nationibus per medium globum terrestrem ab æquatore ad polum usq; Boreum minatur, maxime tamen Turcis & Christianis, quibus in verticali parallelo & vtrinque ad 15. grad. reuolutur: quod quidem spatium zonam 450. mil. germanicorum latam in ambitu terræ constituit. His si radios ad stellas fixas addamus, nempe quadratum ad cor leonis, rationabiliter coniicere licebit, religionis causa multos principes multa cum infortunio suo & suorum facturos: præsertim cum trigonus bonus ad spicam virginis hominibus potius quam religioni ipsi mala euentura arguat. Stellæ autem quæ Cassiopeæ vicinæ sunt, velut pleiades, tum caput Medusæ, illæ & populares motus, & confidentem ad seditiones plebem fore, experimento astrologico portendunt. Sed hæc Astrologica parcus propono, quod sciam quo loco haberi debeant. Sacrorum tamen oraculorum authoritas nullo modo hinc infringi aut eludi potest. Igitur vigilemus & oremus. Sed de his publicè Theologi, & quisq; priuatim apud se viderint. De pictura hoc seorsim monere debeo, si quis cum cælo conferre velit, is uersam minorem ad dextrâ habeat versus septentrionem, ita ut Cassiopea ab orientali parte ad meridianum capite tendat, stellâq; inferius spectetur, ut hinc depicta est. Quando vero à meridiano recedit, ad occidentem figuram inuertat: tum enim superior hæc stella alias stellas Cassiopeæ sequetur, capite versus occidentalem horizontem tendente Cassiopea. Quod supereft, me vestris Illustrissimis Serenitatibus cōmendo, & humillimè ut boni hoc scriptum consulant rogo, quas ut Deus regat, & vna cum Sa. Cxli.

Maiest. &c. ac tota domo Austriaca conferuet, quotidianis precibus complex oro.

Viennæ Austriae 1573. 9. Aprilis.

Paulus Fabricius.D.

SAC. CÆS. MAIESTATIS CONSILIARIO AVLICO, VIRO AMPLISSIMO
domino IOHANNI TUNNERO. V. I. Doct. Domino &
amico obseruand. Paulus Fabricius Cæs. Mathem.
Medic. Doct. S. D.

Ergo polus, Tunnere, nouis assuescere stellis
 Cœpit, contracto repit qua Mœnalis vrla
 Tramite: Si spectes Aquilonem & frigora mecum,
 Et stellas vdo metuentes æquore tingi,
 Iamne vides ignem clara splendescere luce
 Insuctum, & fulgere locis radiisque superbis?

Antè quidem Lunæ maculis obscurus & atro
 Corpore deficiens Phœbus, Luna antè laborans
 Signa dedit, tristes arserunt antè Cometæ:

At nunc insolitum magis & mirabile fulget
 Sydus, & (vnde tremor meritò terrisque mariisque
 Desuper impendet) sublimi voluitur illud
 Vertice conspicuum: metuit sed & æquoris vndas
 Hactenus: vt liquido spectantes discere possint
 Et tempestates mundi & crudelia bella,
 Quò peccas delictorum delictaque vitent.

Nunc homines, nunc tempus adest agnoscere fata
 Ultima, nunc temerè superum spectacula temnunt
 Nescia diuino monitu mansuescere corda.

Tendite nunc igitur dextras, & poscite pacem,
 Dum veniam votis dat adhuc, irasque remittit
 Qui monet ostento Deus: ille precantibus olim
 Surdus erit, surdumque & inexorabile fatum.

Lucentes stellæ, suffixaque sydera cœlo,
 Dicite quid vestros noua stella irrepit in ignes?
 Quis locus? aut quæ sphæra suo suscepit illam
 Hospitio? Certè si non sublimior esset
 Illis, qui mundo fulserunt saepe Cometus,
 Ista situm varium cœli vertigine nacta,
 Ad nos, iam variam ad stellas se ostenderet vltro,
 Aque loco aspectum vero deduceret. At sic
 An nobis idem spatium fortitur in imo
 Sublimique loco, declivi & in abside cycli.
 Dicite vel quæ materies, qua pascitur ingens

Flamma globis neque enim primæuos ætheris ignes
Acceptit quondam, magnum cùm conderet orbem
Mens æterna Dei.

Si nec in his arcana placet nunc pandere cœli,
Quid noua significet, suspensos stella docete
Saltem animos. Diëtis respondent talibus illi,
Fœlices illi rerum qui noscere causas
Ingenij potuere acie curaque sagaci.

Quæ noua spectantur flagrare incendia cœlo
Arctoo, & populis tota se ostendere nocte
Europæ atque Asiarum, multis & mensibus uno
Per se stare immota loco (fas credere stellis
Cassiopeas alto fixæ quæ sydere pendent)
Quas non portendunt clades mortalibus ægris,
Offensi signat cœlo quas numinis ira?

Suspiciunt orbis que alijs septemque Planetæ,
Mirantur que nouos ignes numerumque priorum
Stellarum augeri, stupet hinc Acrisius heros
Perseus Danaes, illinc stupet ipsa Medusa,
Serpentesque fugat, caput ut sub Gorgona condant.
Andromeda insuetum sydus, fera Parrhasis, Anguis,
Cepheusque pater iuxta sua regna reuolui
Mirantur, circaque polum describere certum
Orbem quotidie: Sed vos magis ista minaci
Mortales deceat cautos incendia cœlo
Mirari, vobis impendent tristia fata,
Arma, famæ, peltis, fatisque cadentia regna,
(Quodque Dij auertant) magnorum & funera Regum,
Præterea sumimusque dies, mundique ruina.
Iura cadent, legesque ruent, lacerabitur atris
Religionis honos rixis bellisque cruentis.

Vos ô vos prohibete minas, auertite pestem,
Qui tres personis sed re Deus unicus estis:
Et varios inter motus durisque labores
Christiadum seruate gregem, gentemque fidelem.
In Turcam pœnas & acutum vertite ferrum:
Caesaream seruate domum, seruate nepotes
• Illorum imperio, & populum defendite vestrum:
Dum tribus è vobis labatur in æthera iudex
Christus, credentes & in unum cogat ouile.

8. Aprilis, Anno 1573.

S T E L L A

P E R E G R I N A E I A M

PRIMVM EXORTÆ, ET CÆLO CON-
STANTER HÆRENTIS, φανόμενον, V E L O B S E R V A T U M,
diuine prouidentia vim & gloriae maiestatem abunde concele-
brans. Per D. Cornelium Gemmam, Louanijs Medi-
cinae professorem Regium.

TOTIVS PHÆNOMENI CATA-
stasis Astronomica.

NOVS hic phosphorus (liceat verò sic propter apparentem similitudinem appellare) cœpit fulgere primùm anno hoc à Christo nato 1572. nona Nouembris, die Dominico vesperi, cùm tamen obseruan- tibus proximum cœli locum die octauo, etiam sereno æthere non apparuerit. Eodem ferè tempore accessit Luna ad pūctum Signiferi, in quo deliquum passa est Junio præcedente: stabat enim in 13. Capric. vbi & Mars nunc circa horam 7. copulatur cum cap. Drac. exactè, & Mars in 15. Capr. Erat sub huius exordia Iupiter retrogr. stationarius in epicyclo (quod ad influxus potentiam ac diurnitatem plurimum facit) in 21. Arietis, non procul à cornibus eiusdem & triangulo, subsequente copula Iouis, Martis, Veneris, Lunæ, & cap. Draconis. Illud insuper obserues moneo, quod Venus in Libra, Mars in Capric. cum Lu na exactissimè omnes 4. in signis aut tropicis, aut æquinoct. Sol quoque à coniunctione Saturni desfluens paulatim ad trigonum Iouis & limites Galaxiæ cum stellis in corde scorpii nat. Saturni & Martis.

Sed locus apparentis stellæ (vt per doctrinam triang. maxi- mè liquet) statim ab initio inter Cephei sydus & Cassiopeæ latit. 52. gr. 40. minut. longit. 6. gr. 30. minut. Tauri exactè consi- stit, vbi sece decussatim intersecant limbus borealior galaxiæ,

& colurus æquinoctij verni. Est autem hæc via lactea cœli caminus quispiam, atq; exhalationum perpetuus fomes: de quo physici plura, & adhuc sub iudice lis est.

ORIENS.

Schemat cœlestis stellæ posita in Meridiano circulo. Lat. 52°.




Figura totius præses ac cæteris elevatio.

IMVM COELI.

Parallaxim certò non deprehendi, nisi forte minutorum 4 sub auroram: quod an oculorum errore contingat, in tam angusta differentia, non facile dixerim. Quanquam sub idem tempus eadem fax multo maior appareat, credo propter vapores interiectos, vt iuxta finitorem solet. Id quoque & multis imponit, vt modò pallidior, rutilantior, aucta lumine, vel diminuta, sape & caudam vel crinem gerere videatur, quemadmodum & planetis stellisque cæteris vñuenit.

Porro cum tribus insignioribus stellis Cassiopeæ, in lumbis vna, altera in pectori, tertia in cathedra constituit rhom-

bum elegantissimum laterum propè æqualium, sic ut ex angulis 4. ductæ lineæ ~~et~~ ^{et} ~~et~~ crucis imaginem forment ad angulos rectos: qualis profecto species vix vispam in alio syde re reperitur. Obserua interim stellam hanc nouam velut in summo figuræ vertice constitutam.

Equidem id rationi & obseruatis consentaneum puto, non secus atque in homine boni maliq; præfigus animus notiones cœlitus haustas, per spiritum corpori velut cōiugi refert, nunc per quietem atq; insomnia, nunc etiam vigilantibus nobis ex improviso: Similiter in humana republica, rerum futurarum imagines ab anima sæpe communi per spiritum exarari in ipsa materie. Idq; tum ad salutem mortalium, quos fandi infandiq; memor vocat ad poenitentiam Deus, tum ad nuntiadam numinis prouidentiam, contra Epicureos, qui ventris vnius atque libidinis suæ modo vniuersam vitę felicitatem metiuntur. Præterea videmus illam hactenus in recta fere linea cum insigniore in lumbis Cassiop. cum Persei clara atque Pleiadi bus: rursum ex altera parte cum stella polari, & ea quæ est in natibus vrsæ maioris. Declinatio illius ab æquatore & distantiâ à principio arietis siue æquin. verho 60. gr. 40. minu. id est per sextantem ferè circuli, siue aspectum sextilem: à polo distantia 30. gr. 40. minut. à stella polari propemodum 23. grad. 48. minut. à Ioue 55. gr. 39. minut. à natibus Cassiop. 4. grad. 28. minut. à cathedra 4. gr. 40. min. à clara in summo humero vel dorso Cassio. 6. gr. 58. min. vt per radium astronomicum tentanti facile liquet.

Fulgor eiusdem facis præ cæteris stellis admirandus: superat enim & Sirium & Procyona & Iouem omnésque cæteras procul dubio tum fixas tum erraticas stellas, splendore lúcis ac magnitudine, vt prorsus toto aberrent ccelo, ac cæcute re ad apertissimam lucem censem eos, qui vel admoniti hanc non nouā existimant esse. Mirum certè prius vulgo & ruderibus animis quam viris philosophis atque etiam in arte versatissimis patuisse. Hoc illud est arbitror, quod nitium sibi tri buens humana ratio, intellectui detrahit, vt vix quicquam su-

pra consuetudinem rerum & naturæ iura concedat.

Videtur ex lucis specie naturā pariter & Louis & Solis præ se ferre, fortasse non nihil & ipsius Martis: est enim lātissimus radij fulgor, ex illo argenteo colore fulvescens ac penè subrutilans. Quod quidem temperamenti genus, si cum figura reliqua totoq; systemate comparetur, licebit forsitan, sed sub idea duntaxat vniuersali, ac velut adiūcta hypothesi (quæ pro recipientis materiae sinu ac præparatione diuersa est) de euentus tum specie tum qualitate paululum coniectari. Duplex enim Adraſtiæ lex à philosophis memoratur. Sed ne quid vltra quam homini fas est, nobis sat fuerit altius cogitandi viam vel solo digito commonstrarre, prognosin aliis relicturi.

Per tres ferè septimanas hactenus (quod mirum maximè puto) loco non est digressa, quātum obseruare potuimus. Eadem verò analogia ad stellas reliquias fixas impulsu primi mobilis, circa polos paruum quotidie circulū exarauit, attingens Meridianum hora octaua 20. minut. plus minus, non procul à vertice latitudinis nostræ. distat enim 9. grad. fere. Vnde & septentrionalibus locis magis incumbit. Cum eadem fere culmen attingit ala Pegasi, & caput Cassiopeæ, & corpus Andromedæ, & cauda cæti, &c. exactissimè verò stella polaris. Quare ad hanc illius sedem figura vniuersa meritò describēda est, si quis naturalibus volet aut mathematicis rebus causas metaphysicas coaptare: quod tamen quantum persæpe vanitatis obtineat, aliorum esto iudicium.

Qui naturam Saturni tribuunt, certi nihil ac firmi habent, est enim vt tota substantia à Saturni luce diuersa. Nam quod ad stationē perpetuam, debebat saltem analogo motu ad Saturni sydus vel paululum regredi: vt in cometis aliis obseruatum est, qui suum fere sequuntur ducem. At si tam crassæ substantia est, vt huius nomine saturnina indoles demonstretur, cur tam altè cōscendit subitò æqualis magnitudinis ab initio? cur flamma tam pura, æquabilis longe lateque scintillans? Postremò inualidum est istic quod ab effectu ducitur argumentum. Nam frigus hoc portentosum ego potius refiero ad diu-

turnam copulam Saturni, Martis, Mercurij, cum stellis fixis
nat. Sat. Mar. mense Nou. præcedente etiam copula Sat. solis.
Nam quid possit vnuus aspectus Martis atq; Merc. potissimum
circa stationes, manifestè ostendit hyems portentosa anni
1564. Solent enim aspectus eiusmodi ventos ciere siccos &
aquilonios, siue etesias, qui penetrâdi facultate hybernum fri-
gus adaugent, terræque superficiem expressione humiditatis
incrustant. Semel autem disposita tellus deinceps facile à cau-
sis consimilibus alteratur, vt in febricitatium corporibus ma-
nifestum est. Verùm si frigus hybernum causæ qualitatem si-
gnificat, cur persistente causa non etiam nunc medio Ianua-
rio eadem cœli inclemencia persecuerat?

Multa in hoc prodigo superant mortalium fidem. Nam
primo, vel quid sit, dicere non admodum promptum est. Stel-
lam verò si quis asserat, non physicis tantum, sed & mathema-
ticis demonstrationibus & obseruatis hactenus conuincetur.
Hoc enim duntaxat nobis aperiant, quo sydere quam consti-
tuat cœli partem. Nam & solite omnes apparent, & nulla acce-
dit noua, cū cœli natura sit ingenerabilis, incorruptibilis: stel-
la autem pars cœli planè consimilis rationis. Videtur tamen,
quia scintillat, materie tam stabili permanente, planetis cœte-
ris quoq; superior. Minus multo cometen aut exhalationem
quampiam esse docebis. Nam quādo vispiam cometæ species
istiusmodi visa est, quin omnes aut comā, aut barbam, aut gla-
dium, aut hastam, aut tubam, aut cornu, aut clypeum, aut for-
mam alicuius Pyramidis exhiberēt? Nisi solarem velis, quem
Rosam obseruatores veteres nuncuparunt. Sed vbi humana
facies? Vbi capilli? Vbi purpureus color? Vbi motus ille inæ-
qualis, qui exhalationes accensas lege naturæ perpetua comi-
tatur? Est autem aspectus cometarum subtristis semper, atque
minacior, nunquā scintillans, malorum non tam signū quam
causa efficiēs, dum raptus in sublimem etheris regionē à Sole
acceditur, hac illac impulsus inæqualiter, caudāq; iaciens illi
semper oppositam secūdum lineam rectam. Vnde & morbos
epidemicos aere iam inflammat, & catenatim insanos regum

ac populorum concitat æstus, ut physici voluerunt. Sæpiissime & alicuius funeris velut fax prænuncia cœlitus cōmonstratur. De hoc portéto idem sentire non audeo. nam & alia species, alia longè materies fortasse & causa efficiens proxima latet.

Quicquid itaque fuerit, seu fax naturæ legibus parta, siue prodromus quispiam atq; lychnuchus alterius aduentus Domini, hanc speciem lucis indutus, & mūdi cardines vtrinque concutiens (nihil assero) magnum videtur quod præsignificat, totumq; supra naturæ leges ac præ portentis cæteris celebrandum. Semel duntaxat similem visam monumenta historica prodiderunt, sub nativitatē scilicet Domini Saluatoris, quæ salutem orbi partam testata est olim orientalibus Magis. Faxit omnipotens genitor, ut nunc simili ferè prodigo mutationem quoque consimilem in nobis & nostris omnibus experiamur, ut positis affectibus prauis, fastu, libidine, auaritia, crudelitate, &c. nos ipsi in Christo & Christus in nobis sub sui natalis circuitum renascatur: discussisque suorum lachrymis, pacem & æmuntia præstet, noctem hanc obscurissimam luce iucundissima, calicem furoris sui dolio pleno gratiæ mustoque benigitatis suæ repente commutet.

Alterum non minus stupendum, quòd in pari ferè recessu Iupiter à principio Arietis, & nouū hoc sydus à poli stella reperiatur: ac rursus in pari propemodum altitudine ab ecliptica, atque est latitudo nostræ regionis, 52. gr. scilicet.

Maximum verò, quòd sit in præcipuo puncto totius cœli, in contactu & nodo Galaxiæ circuli, & coluri qui per æquinoctium veris incedit, id est per principia Arietis & Libre, dirimens dextrâ cœli partem à sinistra, non minus quam æquator superius hemisphérium ab inferiore, & leges tum humanae tum diuinæ rectum ab obliquo, errorum tenebras à veritate ac iusticiae luce distinguunt. Credibile est itaque, totam spē etare ad axim & cardines mundi, cùm ad illos habeat exactissimam symmetriam. Fiunt autem & rerum maximæ metamorphoses Sole ingrediente principium Arietis vel æquinoctium vernum sub II. Martij: quo tempore quæ pene marcue-

rant repubescent, omnia reiuuenescunt, atq; vel ipso Hippo. teste, qui prius internis clausi penetralibus latuerant, à centro ad circumferentiam agitantur humores & spiritus vniuersi, vnaq; cum ipsis partes singulæ mundi maioris atque minoris, contrà quām sole in Libram ingrediente: quo signo apparuit terribilis ille cometes anni 1556. cum stella hac obtinens exatissimam antipathiam. Eodem puncto Arietis totius orbis prima fuisse cunabula omnes philosophi suspicantur.

Non alios prima crescentis origine mundi

Illuxisse dies, aliumque habuisse tenorem

Crediderim. Ver illud erat -- Ex Georg. 2.

Quare & ex illo antiquitus rectè annorum circuitus numerabant. Siquis autem diligenter obseruet in astronomico globo, stella hæc adamussim ab æquinoctij puncto distat grad. 60. id est per sextilē radium, à quinto Capricorni per quadrantem.

Plura qui volet, rem superstitione potius quam utiliter quaerens, is & eclipsim precedentem, & cometem anni 1556. & copulam Saturni, Iouis, Martis in principio leonis anni 1563 & chasmata cœlo visa sæpius, cum portentis aliis infinitis, ad statum presentem comparet. Idem quid Sol promittat (si quæ hic naturalibus fides) ingressu suo sub proximum ver in Arietis & Tauri dodecat. Martio & Aprili mēsibus, præsertim accedente paulatim memorabili quadam oppositione Sat. Iouis circa pleiadum sydus mense Iunij, quæbis repetitur postea Nouembri mense 1573. item Aprilis 1574. cum admirandis aliis syderum syzygiis ad locum stellæ analogis. Hinc enim initia forsan, virium progressus, &c. quanquam quod ad portentis speciem, mensuram vel modum, pondus & tempora, solus ille prudens futuri temporis exitum, caliginosa nocte premat Deus: Ridentque si mortalis ultra fas trepidet.

Verum ut ex diuinis spectaculis fructum solidū consequamur, multa sunt hodie nobis ex puræ & Christianæ philosophiæ fontibus comparanda. Primum hæc omnia se habere, tum in causarum tum signorum genere, prout est animis cuiuscumque capit atque intelligit, utque ipsi diuinæ prouidentiæ

subiecta materies morem gerit. Nihil etiam in hoc orbe mortali absolutè bonū, sed generatio vnius corruptio alterius, & sic de cæteris. Postremò cùm de contrario in contrariū perpetuò transitus fiant, nox quæ crism præcedit, vt inquit Hippo. maximè inquieta est. Vnde nec absque tempestate trāquillitas parta est, nec absq; ærumnis vel calamitatibus summis patet ad fœlicitatem via. Cætera quæ de terremotibus, pestilentibus morbis, aquarum ignisq; diluuiis, & squalloribus diuturis circa veris atq; æstatis initia iuxta astrologiæ methodum intricatam oppidò dici duntaxat probabiliter possent, cōsultò præterimus: cùm etiam de natura ipsius prodigijs minimè constet. Multo magis ridendi qui annonæ caritatem, tumultus populares, ciuitatum excidia, afflictionem ecclesię vel triūphum & id genus alia nugamenta proferunt, ex præsenti potius rerum statu atque euentu, quam astrorum peritia vaticinij speciem usurpantes. Nec est quòd adeo de procul futuris soliciitamus, cùm ne videre contingat sæpe quæ ante pedes.

Scripsi hæc equidem non alio scopo, quam ne tantum diuinæ prouidentiæ munus vlla deinceps posteritas cōticescat. Quod enim ad ipsius gloriam spectat, cælare nefas existimo. Mortales cæteros id paucis admonitos velim, vt in cœlum sublatis oculis animisque quisque se pareat, & sortem præsentem æquo animo ferat. Cùm enim fortuna temporis nostri ad normam excentricitatis Solis iam prope ad parui sui circuli perigæon sit deuoluta, videtur eadem rursus ad augem vel apogæum conuerso circuitu adspirare: si nobis ipsis non defuerimus. Atque vt metus in summa abside, ita & spes in ima diuinatus collocata est. Nihil autem in hac vita præstantius duxi, inter fortunæ vtriusq; remedia à rebus naturæ sumpta, quam sit illa de rerum humanarum vicissitudine frequēs cogitatio. quia, vt inquit Soph. in Aiace,

*Peruigil ethereos radio dum persequor ignes,
Delia sublatis me propè mersit aquis,*

Epilogi-

*Epilogis m̄is corum que in hoc sydere nouo pricipue sint ad-
miranda.*

Subito natum æqualis fere magnitud. ab initio,
Lucidum penitus & stellarum inerratiū more scin-
tillans,

Locus respectu primi mob. exactè in principio Arie-
tis in contactu Galaxiæ & coluri æquinoctij distans
ab æquin. 60. gr.

Quod Sedem suam seruauerit toto durationis tempore in
hunc usque diem.

Nec stella, neque exhalatio dici possit, multò minus
cometa.

Cum syderibus quæ vincitam Andromedam intuen-
tur, ibidem crucis signum exprimat,

Huius locus in Tauri dodecat. ex quadrato pugnet
cum loco Zod. ubi cometes desit anni 1556. ni-
mirum s. Leonis.

Rerum humanarum circuitus compendiosa
periphrasis.

Virtutum soboles pax est, at copia pacis.
Luxurias opibus, luxu mauortia bella,
Bello pauperies sata, regno paupere virtus.

Aliter.

Pauperies pacem dat, opes pax, copia luxum,
Sed luxus bellum, bellaq; pauperiem,
Fons amor est odiis, vita mors, turba quietis,
Stant que deciderint, queq; stetere cadunt.
Et capti capiunt, & qui domucre domantur,
Fit victi supplex, qui modo victor erat.
Sic plebi indomita, sic sunt sua fata tyrannis,
Sic Deus alternas versat in orbe vices.

IOANNES DE MONTE
Regio de Cometa.



DEBVS Ianuariis, anno Domini 1475. visus est Cometa sub Libra, cū stellis Virginis: cuius caput tardi motus erat, donec vicinaret spicæ, nunc velocitabat suus incessus per crura Bootis, versus eius sinistram, à qua discedendo die uno naturali, portionem circuli magni 40 graduum descriptis. Vbi cùm esset in medio Canceris, maximè distabat ab orbe signorum 77 gradibus, & tunc inter duos polos zodiaci & æquinoctialis, ibat usq; ad interpedes Cephei. Deinde per pectus Cassiopeæ, super Andromedæ ventrem, post gradiendo per longitudinem piscis septentrionalis, vbi iterum valde remittebatur motus eius, appropinquabat zodiaco, transiens ipsum iuxta medium Arietis: donec cum stellis Ceti occasus Eliacus nobis ipsum occultaret, in ultimis diebus Februarij. Hoc motu suo proprio circuli magni portionem descriptis, quo in septentrionem, & cum hoc contra successionem signorum ferebatur à Libra in Arietem in fine & principio proportionabiliter tardè: in medio vero eius apparitionis velocissimè mouebatur, uno die ferè per quatuor signa, à fine Virginis, usque ad principium Geminorum: & secundum naturam sibi adscribēdam, motum continuasse debebat, donec iterum reuersus in Libram apparuisset: & forsitan taliter motus fuit, quoniam in eius occasu magna adhuc erat quantitatis. Tamen propter figuram eius ad Solem, & maximè in plagiis septentrionalibus, non nisi parum in fine suæ apparitionis videri poterat versus meridiem in diebus Aprilis, si motu suo regularitatem seruasset.

De motu caudæ.

Cauda vero eius minus mobilis, continuè respiciendo stellas Geminorum, eas circuibat, nunquam ab eis per totum ap-

paritionis tempus deuiabat. Ideoque in prima eius apparitione caudam ad occidentem protendebat, quoniam illæ stellæ Geminorum putabantur. In fine vero cometæ sub Ariete locato propter Solis vicinitatem, nisi in occidente apparuit, protendens caudam versus orientem: quia in hoc situ stellæ Geminorum ponebantur. In medio vero apparitionis cum iret inter duos polos, caudam vertebat ad meridiem: illic tunc erant stellæ Geminorum: contingebatque tunc nocte eadem: ut statim post Solis occasum cauda Orientem respiceret. Appropinquante medio noctis, respexit meridiem. Post medium noctis, respexit occidentem. Ante Solis ortum, indicabat locum septentrionis: unde circulus stare consuevit. Haec caudæ diuersitas in situ ex motu diurno oriebatur, quem cometa habuit: ex motu continentis in sequentis primum mobile, qui semper est ab oriente in occidente, motu autem proprio extremitas caudæ (quamvis tardius quam caput cometæ) semper tamen etiam ad occidentem, contra signorum successione, describens parallelum à principio Libræ usque ad medium Tauri mouebatur: vadens sub pedibus Vulantis: per Ursam maiorem appropinquando Perseo: per quem circa Pleiades, ad caudam Arietis, ibat ferè in medio Tauri. Unde patet, tam caput quam caudam cometæ versus occidentem, & nunquam versus orientem, iuisse, non solum motu diurno, sed etiam proprio.

De distantia Cometæ à terra.

Qui Geometriæ & Arithmeticæ rationes nouerunt, minime dissentient eis quæ ex Ptolemai traditionibus habentur: quibus in Almagesto demonstrauit, concavum orbis lunæ 33 vicibus tantum distare à centro terre, quantum est ab eodem centro ad terræ superficiem. Semidiameter vero erræ (vt col ligi potest) continet fere 913, miliaria Teutonica: & per ipsum (vt dicit Alphraganus 23 differentia) ratiocinamur distantiæ stellarum à terra. Considerando itaque maximam diuersitatem aspectus capitis cometæ a Spica stella sibi vicini, que iuxta

possibilitatem omnibus difformitatibus reductis, maior comprehendendi non poterat quam 6 gradum, instrumentis congruis ad hoc ordinatis: ad quam aspectus diuersitatem necessariò sequitur, corpus Cometæ à superficie terræ distitisse in nonecupla distantia ad semidiametrum terræ: quæ ad minus est octo millia & ducenta milliaria: ponebatürque in superiori parte supremæ regionis aeris, & non in igne: supposita decupla quantitate commensurationis elementorum: sicut philosophus secundo de generatione determinauit.

Quomodo inueniatur magnitudo cometarum.

Quantitas verò cometarum comprehenditur ex distantia illorum à terra, & quantitate anguli sui pyramidis visualis. Nam vni gradui in circulo magno correspondent 16 miliaria de circumferentia terræ. Cum ergo distiterit cometa à superficie terræ tantum quantum est semidiameter terræ, & chordauerit eius corpus unum gradum, erit diameter corporis ipsius 16 miliaria. Si verò in duplo distiterit, dupla erit quantitas eius: qualis est enim proportio totius sinus (scilicet 60 ad distantiam stellæ à terra) talis est proportio chordæ ad perimetrum stelle. Chordam dico, quæ subtendit portioni circuli magni in cœlo, quam talis stella chordat, & talis chorda est basis pyramidis visualis istius stellæ. Multiplicetur ergo basis pyramidis visualis per distantiam cometæ à terra, & productū diuidatur per 60. Ipse quotiens est quātitas diametri cometæ: cuius demonstratio alteri loco competit. Distantia verò cometæ à terra comprehenditur ex diuersitate aspectus ipsius cometæ, vel alicuius eius partis, ad aliquod Astrum sibi vicinum.

De magnitudine cometæ.

Cum enim diameter capit is cometæ vndecim minuta circuli magni chordaret: vt instrumentis deprehendebatur: quorum minitorum chorda est vndecim minuta, & medium se-

re: illa ergo chorda, ut dictum est in prima parte, multiplice-
tur in distantiam cometæ à terra: id est octo millia & 200 mi-
lia: & producentur 94 millia, & 300: quæ diuidantur per
sinum totum, scilicet 3 millia & 600 minuta, exhibunt inde 16
milia: quæ est quantitas diametri capitis cometæ: comæ ve-
rò circunquaque egredientes de capite cometæ chordabunt
ferè 34 minuta. Fit ergo diameter earum 81 miliaria ferè. **
Eusebius Ecclesiasticæ historiæ, li. 3. Et cometes præterea exi-
tialibus flammis ardere per totum visus est annum. Ex Iose-
pho: nulla impressio aerea potest ex naturalibus causis exha-
lationum flammiorum sufficere materiam com-
tex spacio anni, sed veniunt cometæ ex occul-
tis causis naturæ, &c. In qua sen-
tentia est Messala
Arabs.

T. ,

SIGNIFICATIO COMETÆ

QVI ANNO M. D. XXVII. APPA-

ruit cum passionibus eius, scitu iucundissimis, à Ioanne Vogelin Haylpronensi, Viennensi Mathematico demonstratis.

IO. ROSINI EPIGRAMMA.

Vos quibus aeterni metiri sydera mundi
Est cure, Vates dicit syderci,
Quid diros caelo toties ardore Cometas
Cernimus, & passu triste rubore comis?
Bellâ ne seua manent miseris? an acerbior armis
Pestis in humanum saeuit atra genus?
Dicite quicquid erit, minus officit ira deorum
Qui moniti puris latura ferunt manibus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
AC ILLVSTRISSIMO SACRI ROMANI IMPERII
Principi, & Domino, domino Bernardo tituli S. Stephani in
Cælio monte presbytero Cardinali ac Episcopo Tridétino, sereniss.
& potentiss. Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque, &c. Regis su-
premo Cancellario, &c. Domino ac patrono suo clementissimo,
Ioannes Vogelin alma Vniuersitatis studij Viennensis ordinarius
Mathematics professor, S. D. P.



VANTO labore quantaque industria prisci
Mathematici posterorum commodis inuigila-
uerint, tametsi multæ aliae, quarum authores fu-
erunt, artes, quibus omnis generis scientia, imò
etiam militaris ars & res ciuilis, non parum ad-
iuuantur, docere possunt: tamen Astronomia ut
alijs Matheseos partibus antecellit, ita illud ma-
xime perspicuum facit. Nam (ut ex ea docemur) hi non solum erratica-
rum stellarum multiplices motus, stationes, regressus, progressusq., ef-
fluxiones, occultationes, coniunctiones, alternasq., irradiationes certissi-
mis legibus astrinxerunt, verum etiam rem (ut Plinius ait) etiam
Deo improbam aggressi, fixorum syderum numerum, proprium mo-
tum, loca vera, figuram, magnitudines & naturas posteris tradiderit.
Potuit tamen (quod miraculi est loco) Cometa, sive aeternum sydus, si-

ue elementaris quedam suffumigatio, eorum acutissima ingenia perpetuumq; laborem, velut contumax, frustrari. Huic effrani & permulta secula Astronomicas leges aspernato, tandem non sine numine superuenit alter Hipparchus, nunquam satis laudatus, Ioannes de Regio monte. Is nobis opusculo tradito, viam ostendit, qua Cometa verum locum in Zodiaco, motum diurnum, distantiam tum ab oculo spectatoris, tum à centro terre, magnitudinem etiam eius, aliasq; passiones, quæ per cuncta secula humanum latuerunt intellectum, possumus cognoscere. Huius instructione formatus obseruavi ego Cometam qui hoc anno, id est 1532 apparuit, eius passiones ex scientia Triangulorū sphæricorū linearibus demonstrationibus hoc opusculo ita comprobaui, ut quæ à Ioanne de Mote regio ostēsa est via, nemini nisi triangulorū sphæricorum perito accessibilis, à me expeditior facta cuius Mathematis studijs pateat, vtq; eam aliquis in posterum ingressus, de Cometa exactius quam ego, & plura quam Ioannes commonefecit, scribere possit. Hunc libellum ut tue reuerendiſ. & illiſtriſ. dominationi conſeruem, hortatur rusticā fortassis & importuna, non tamen reprehendenda gratitudo animi mei, qui plurimorum beneficiorum conscius, utcūque studet habere gratiam. Quanquam ipſe ſe eidem tuae dominationi commendare potest, quod supremis nostris Rom. principibus, quorum tu ut prudentissimum ita dignissimum geris consiliarium, prospera auguria ostendit. Rogo igitur hunc tua humanitas clementi fronte accipiat, me ſimil ut cunctos studioſos, perpetuo prosequatur patrocinio.

Caput primum de tribus theorematibus, quibus omnia prop̄e, quæ de Cometa ſcribuntur, ostendentur.

Eacturus opera prearium videor, si ex acutissimi Gabri Hispalensis Astronomico (quod brevi monitu doctissimi & de Mathematica optimè meriti Georgij Tannfetter Collimitij, Regij Medici, editurus sum) tria theorematata, quibus magna pars triangulorum sphæricorum absoluitur, hic tranſtulerō: non ſolū ut quas hoc libello admirandas passiones de Cometa qui apparuit anno Christi 1532. ſcripsi, neceſſarij demonstrationibus co-


firmentur, verum etiam ut omnibus Astronomie studiis simul via pateat in posterum harum passionum accuratis observandarum, simul aliarum que adhuc latent, inueniendarum ansa sit data.

Primum itaque Theorema est. In omni triâgulo sphærico, cuiusque lateris sin⁹, ad anguli cui subtendit, sinū, est proportio vna, vt in triangulo subiecto A B D. Sinus lateris A B, ad sinum anguli cui subtenditur A D B. Sinus etiam arcus B D, ad sinum anguli quem subtendit B A D. Porro ipsius lateris A D, sinus ad sinum anguli quem subtendit A B D, est vna & eadem proportio.

Secundum. In omni triangulo sphærico, in quo unus angulus est rectus, proportio sinus alterutrius reliquorū angulorū ad sinū anguli recti, est sicut proportio sinus complementi alterius anguli ad sinum complemeti arcus subtendentis, vt in triangulo A B D, sit angulus B rectus. Dico proportionem sinus anguli B A D ad sinum totum, esse sicut sinum complementi anguli A D B ad sinum complementi arcus subtendentis A B, vel proportionem sinus anguli A D B, ad sinum anguli recti, id est sinum totum esse sicut sinum complementi anguli D A B, ad sinum complementi arcus subtendentis B D.

Tertium Theorema. In omni triangulo sphærico, in quo unus angulus est rectus, proportio sinus complementi arcus subtendentis angulum rectum ad sinum complementi alterutrius arcuum rectum angulum continentium, est sicut proportio sinus complementi reliqui arcus, rectum ambientis ad sinum totum. Ut in priori triangulo, proportio sinus complementi arcus A D angulum rectum subtendentis ad sinum complementi lateris A B angulum rectum ambientis, sicut sinus complementi arcus B D angulum quoque rectum continentis ad sinū totum. Aut proportio sinus complementi arcus A D, rectum subtendens ad sinū complementi arcus B D illum ambientis, sicut sinus complementi alterius arcus eundem rectum continentis A B ad sinum totum.


Horum aliorumq⁹, Theorematum demonstrationem optime Lector, breui videbis: interea contentus sis illis iisdem rudibus, in quibus te exerceas oportet, ut demonstrationes lineares, quibus in sequentibus capitibus utemur, intelligere possis: variabimus enim ut commodum fuerit, dictarum proportionum ordinem, modo permutata, interdum conuersa usuri proportionalitate. Nunc rem ipsam aggrediemur, ubi vñ-



cum hoc monuerimus. Quod si quando bini termini occurserint tibi numeri sine graduum minutiarum explicatione, scito primum numerum gradibus, secundum minutis, tertium secundis inserire.

Caput secundum de quinque locis Cometæ ab Astronomo considerandis.

Cometæ quinque sunt loca ab Astronomo consideranda: duo in circulo altitudinis. Horum alter visus seu apparenſ appellatus, ac instrumento inventus, definitur per lineam ab oculo obſeruatoris per centrum Cometæ ad circulum altitudinis drotractam. Alter verus dicitur, & magnolabore, calculi auxilio (ut infra videbis) patescit. Definitur autem per lineam rectam à centro mundi ex euentem per centrum Cometæ, productamq; usque ad altitudinis circulum. Exempli gratia. Sit circulus altitudinis seu Azimuthus, præ cuius magnitudine terra in ſtar puncti est, circulus ABC, Circulus in superficie terræ HL, Centrum terre E, Linea recta transiens per Zenith ſeu verticem obſeruatoris & centrum terre A H E D, Oculus obſeruatoris H, Centrum Cometæ in aere pendens G. Ab oculo igitur obſeruatoris per centrum Cometæ ad circulum altitudinis trahatur linea recta H G C. A centro terra per centrum Cometæ recta ad circulum altitudinis eiuscet asit E G B. Erit ergo punctus C locus Cometæ viſus, punctus autem B verus locus in Azimutio. Hec duo loca ſemper diſtant, niſi quando Cometæ in ipſo fuerit ob-



seruatoris vertice, tunc enim unus erit locus & apparet verus, proptereactus scilicet A. Praterealocus verus semper est Zenith propior quam visus, sive in Oriente sine Occidente Cometa appareat. Arcus Azimuthi dicta duo loca interiacens, vocatur diuersitas aspectus in circulo altitudinis. Ea radix est & fundamentum omnium que de Cometa scripsi possunt. Tertius locus est in aere corpus Planetae circumscribente. Huius loci distantia ab oculo quidem obseruatoris definitur in supraposita figura per lineam H.G. Eius vero a centro terra distantiam determinat linea E.G. Quartus Cometae locus appellatur verus locus in Zodiaco, & est punctus eclipticae terminans arcum ductum a polo eclipticae per locum Cometae verum in Azimutho ad eclipticam. Quintus locus vocatur apparet locus in ecliptica, quem ostendit arcus ductus a polo eclipticae per locum Cometae visum in Azimutho ad eclipticam. Horum quinque locorum solus primus(id est apparet in Azimutho) inuenitur per observationem. At alij calculo, auxilioque, diuersitatis aspectus in Azimutho, comparantur. Id propterea subiecto capite docebimus modum huiusmodi diuersitatis aspectus inueniende.


Caput tertium de ratione inueniendi diuersitatis aspectus in circulo altitudinis.

HAE Contra non potest exacte inueniri, nisi duabus obseruationibus, modico temporis intervallo differentibus, quo nulla latitudinis sensibilis fiat mutatio aut declinationis. Id propterea obseruaui anno Christi 1532 die sexto mensis Octobris, hora decima sexta, min. 8, instrumento ad eam rem apto. Inueni haec obseruatione altitudinem visam Cometae grad. 5. minut. 0. Distantiam vero Azimuthi in quo fuit Cometa ab ortu aequinoctiali versus meridiem 3. 15. 0. Deinde eiusdem horae decima sexta et minuto 50. feci secundam obseruationem eodem instrumento: & inueni altitudinem Cometae visam in circulo altitudinis grad. 12. min. 30. Distantiam autem Azimuthi ab ortu aequinoctiali versus meridiem, 12. 0. Has duas obseruationes aptauit Theoremati infra subiecto, & inueni diuersitatem aspectus in circulo altitudinis in prima obseruatione

35. 31. 1. In secunda autem obseruatione, 34. 58. 5. Decrescit enim diuersitas aspectus tanto amplius, quanto Cometa Zenith magis approximat.

Demonstratio. In diuersitate aspectus comparanda, visus sum & modis demonstrandi & scheme, quæ princeps Mathematicorum Ioannes de Regio monte posuit in secundo problemate libri sui de Cometæ. Sit itaque, exemplo Io. de Regio móte, circulus meridianus A B C D, Mediætas horizontis orientalis B E D. Polus horizontis, quem Zenith vocant z. Polus mūdi arcticus h. Azimuth seu quarta circuli altitudinis in prima obseruatione z g x. In quo locus Cometæ visus quidem o, verus autem g. Parallelus seu arcus semiurnus Cometæ veri A G E. Visi autē parallelus q n s. A

polo denique mundi arctico trahantur arcus circulorum magnorum h o, & h c. Hæc quidem circa primam obseruationem facta sint. In secunda obseruatione, quadrans circuli altitudinis seu Azimuthus sit z l r. In quo locus Cometæ verus quidem sit l. Visus autem m. Ducatur etiam à polo mundi arcus circuli magni h l, qui æqualis erit arcui h g: quoniam vterque est ex polo parallelis A G E ad eius circumferentiam. Constituatur deinde angulus l h n æqualis angulo g h o ducto arcu h n, qui æqualis erit arcui h o. Addito ergo utriusque communiter angulo n h g erit angulus totus l h g æqualis toti angulo n h o. Arcus itaque l g & n o, his æqualibus angulis subtenti, similes erunt. Manifestum ergo quod sicut in tempore duabus obseruationibus interiacente, punctus g ad situm l motu primi mobilis, ita punctus o ad notam n traducitur. Supponimus enim Cometam tantulo tempore, nullo alio motu (quantum ad sensum attinet) quam mobilis primi ferri. Demittatur etiam à polo horizontis z, per punctum n, quadrans



circuli magni z n p. Punctus denique n continuetur loco viso Cometae in secunda obseruatione, scilicet puncto m, arcu circuli magni m n. Similiter iungatur cum loco vero l arcu n l. His ita delineatis ad demonstrationem veniamus. Cuius gratia ex h puncto super quadrantem z k in partes z productum, efficiatur orthogonaliter arcus circuli magni h t. Rursus ex puncto z super arcum h n orthogonaliter cadat arcus z x. Deinde ex puncto m educantur arcus circulorum magnorum orthogonaliter, arcus quidem m y super z n. Arcus autem n f super l n arcum. In hac demonstratione octo ordine triangulos sphæricos perlustrates, & in singulis terna ignota perquirentes, adducemur tandem in cognitionem arcus n l, qui arcui o g id est diuersitati aspectus primæ obseruationis in Azimutho, ideo est equalis, quia duorum triangulorum sphæticorum l h n & g h o duo vnius latera, æqualia sunt duobus alterius lateribus, nempe arcus h o arcui h n, & arcus h g arcui h l. anguli præterea his equis lateribus contēti sunt æquales per hypothesim: basis ergo g o equalis basi n l per quartam primi Milei. Eadem opera pernoscemus arcum l m, hoc est diuersitatem aspectus secundæ obseruationis in circulo altitudinis.

Primi trianguli h z t angulus h t z ex hypothesi est rectus, latus z h nobis Viennensibus est 42,0, complementum scilicet elevationis polaris, angulus h z t est 86,45,0. Nam sibi contrapositus b z k tcetidem est graduū, ideo quod tantus est arcus eum diffiniens b k complementum scilicet azimuthi primæ obseruationis. Latus t h inuenitur per primum Theorema. Nam sinus anguli recti h t z ad sinum arcus subtenti z h sicut sinus anguli h z t ad sinum arcus h t subtendentis, qui est, 41,55,1. Arcus z t inuenitur per tertium Theorema. Nam sinus complementi arcus h t modò inuenti ad sinum complementi arcus z h sicut sinus totus ad sinum complemeti arcus z t. arcus itaque ipse z t est 2,55,29. Angulus t h z inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus z h ad sinum anguli recti quem subtendit h t z sicut sinus arcus z t ad sinum anguli quem subtendit t h z & est 4,22,24.

Secundi trianguli t o h latus t o est, 87,55,29. Arcus enim z o complementum altitudinis cometæ in prima obseruatione est 85,0. Arcus autem z t vt modò ostensum fuit, 2,55,29. Latus h t supra inuentum fuit, 41,55,1. Angulus h t o rectus. Arcus h o inuenitur per tertium Theorema. Nam sinus totus ad sinum complementi arcus h t sicut sinus complementi arcus t o ad sinum complementi arcus h o & est ipse arcus h o 88,27,22. Angulus t h o inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus h o ad sinum anguli recti quem subtendit h t o sicut sinus arcus t o ad sinum anguli t h o & est 88,36,48. Ab hoc si auferas angulum t h z, scilicet 4,22,24. relinquetur an-

gulus z h o, 84, 14, 24. Angulus quoque h o t inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus h o ad sinum anguli recti quem subtendit h t o sicut sinus arcus h t ad sinum anguli h o t quem subtendit, & est 41, 56, 8.

Tertij trianguli h z x. latus z h est 42, 0. Angulus h x z rectus Angulus autem x h z est 73, 44, 24. Nam angulus n h o est 10, 30, 0. Ideo quod arcus paralleli n o respondet tempori duabus obseruationibus intermedio scilicet o, hor. 42. minutis, quae in gradus aequinoctialis resoluta, integrant, 10, 30, 0. Sublato ergo angulo n h o ex angulo z h o supradicto inuenito, scilicet 84, 14, 24. residuus erit angulus z h x, 73, 44, 24. Arcus z x inuenitur per primum Theorema. Nam sinus anguli recti z x h ad sinum arcus subtendentis z h sicut sinus anguli z h x ad sinum arcus subtendentis z x, & est 39, 58, 6. Arcus h x inuenitur per tertium Theorema. Nam sinus complementi arcus z x ad sinum complementi arcus z h sicut sinus totus ad sinum complemen-

ti arcus h x, & est ipse arcus h x, 14, 9, 2. Angulus h z x inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus x h ad sinum anguli recti h x z quem subtendit, sicut sinus arcus h x ad sinum anguli h z x quem subtendit, & est 21, 25, 46.

Quarti trianguli z x n angulus z x n est rectus. Latus z x est 39, 58, 6. Latus x n, 74, 18, 20. Fuerat enim totus arcus h x n, quod esset aequalis h o, 88, 27, 22. A quo si subtrahatur h x, reliquus erit arcus x n. Arcus z n inuenitur per tertium Theorema. Nam sinus totus ad sinum complementi arcus z x sicut sinus complementi arcus x n ad sinum complemeti arcus z n, & est ipse arcus z n, 78, 2, 6. Augulus x z n inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus z n ad sinum anguli recti z x n quem subtendit, sicut sinus arcus x n ad sinum anguli x z n quem subtendit, & est 79, 46, 6. Angulus z n x inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus z n ad sinum anguli recti z x n quem subtendit, sicut sinus arcus z x ad sinum anguli z n x quem subtendit, & est 41, 2, 36.

Quinti trianguli z m y. Latus z m est 77, 30, 0. ipsum enim est complementum altitudinis cometicae in secunda obseruatione deprehensa, scilicet 12, 30, 0. Angulus z y m est rectus. Angulus m z y sicnotus fieri. Angulus totus h z p, constans partialibus angulis h z x, 21, 25, 40. & x z n, 79, 46, 6. erit 101, 11, 52. Reliquus ergo ad duos rectos b z p, 78, 48, 8. Porro angulus b z r est 78. Ipse enim est complementum azimuthi in secunda obseruatione, qui inuentus fuit, 12, 0. Subtracto igitur angulo b z r scilicet 78, 0, ex angulo b z p 78, 48, 8. reliquus erit angulus m z y, 0, 48, 8. Arcus m y inuenitur per primum Theorema. Nam sinus anguli recti z y m, ad sinum arcus z m subtendentis

sicut sinus anguli $m \angle y$ ad sinum arcus $m \angle y$ subtendentis & est, o, 46, 59. Arcus $z \angle y$ inuenitur per tertium Theorema. Nam sinus cōplementi arcus $m \angle y$ ad sinum cōplementi arcus $z \angle m$ sicut sinus totus ad sinum complementi arcus $z \angle y$ & est ipse arcus $z \angle y$ 77, 29, 56. Angulus $z \angle m \angle y$ inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus $z \angle m$ ad sinum anguli recti quem subtendit $z \angle m$ sicut sinus arcus $z \angle y$ ad sinum anguli quem subtendit $z \angle m \angle y$ & est, 89, 50, o.

Sexti trianguli $m \angle n$. Latus $m \angle y$ est, o, 46, 59. Angulus $m \angle n$ est rectus. Latus $y \angle n$ est, o, 32, 10. Relinquitur enim ipsum post subtractionē arcus $z \angle y$, 77, 29, 56. ex arcu $z \angle n$, 78, 2, 6. Latus $m \angle n$ inuenitur per tertium Theorema. Nam sinus totus ad sinum complementi arcus $n \angle y$ sicut sinus complementi arcus $m \angle y$ ad sinum complementi arcus $m \angle n$. & est ipse arcus $m \angle n$, o, 56, 57. Angulus $m \angle n \angle y$ inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus $m \angle n$ ad sinum anguli recti quem subtendit $m \angle n \angle y$ sicut sinus arcus $m \angle y$ ad sinum anguli quem subtendit $m \angle n \angle y$ & est, 55, 35, 21. Angulus $y \angle m \angle n$ inuenitur per primum Theorema. Nam sinus arcus $m \angle n$ ad sinum anguli recti quem subtendit $m \angle n \angle y$ sicut sinus arcus $y \angle n$ ad sinum anguli quem subtendit $y \angle m \angle n$, & est, 34, 23, 29.

Septimi trianguli $m \angle n \angle f$, latus $m \angle n$, est, o, 56, 57, angulus $m \angle f \angle n$, rectus. Angulus $m \angle n \angle f$, sic notus fit, Angulus $l \angle n \angle h$, quia æqualis angulo $h \angle o \angle z$, est, 41, 56, 8, à quo subtractus angulus $z \angle n \angle x$, 41, 2, 36, relinquit angulum $l \angle n \angle z$, o, 53, 32. Is verò demptus ex angulo $m \angle n \angle y$, 55, 35, 21, residuum facit angulum $m \angle n \angle f$, 54, 41, 49. Arcus $m \angle f$ inuenitur per primum Theore. Nam sinus anguli recti $m \angle f \angle n$, ad sinum arcus subtendens $m \angle n$, sicut sinus anguli $m \angle n \angle f$, ad sinum arcus subtendentis $m \angle f$, & est, o, 46, 28. Arcus $f \angle n$, inuenitur per tertium Theor. Nam sinus complementi arcus $m \angle f$ ad sinum complementi arcus $m \angle n$ sicut sinus totus ad sinum complementi arcus $f \angle n$, & est arcus ipse $f \angle n$, o, 32, 56. Angulus $f \angle m \angle n$, inuenitur per primum Theor. Nam sinus arcus $m \angle n$ ad sinum anguli recti quem subtendit $m \angle f \angle n$, sicut sinus arcus $f \angle n$ ad sinum anguli quem subtendit $f \angle m \angle n$, & est, 35, 19, 53.

Octaui & postremi trianguli $l \angle m \angle f$. Latus $m \angle f$ est, o, 46, 28. Angulus $l \angle f \angle m$ est rectus, Angulus $l \angle m \angle f$ est 88, 53, 36, quod sic patet. Nam ex triangulo quinto inuentus est angulus $z \angle m \angle y$, 89, 50, o. Ex sexto autem triangulo angulus $y \angle m \angle n$ agnoscebatur 34, 23, 29. Totus itaque angulus $l \angle m \angle n$ est 124, 13, 29. A quo si subtracteris angulum $f \angle m \angle n$ comparatum ex septimo triangulo scilicet 35, 19, 53, relinquetur tibi angulus $l \angle m \angle f$ 88, 53, 36. Angulus $m \angle l \angle f$, inuenitur per secundum Theor. Nam sinus totus ad sinum anguli $l \angle m \angle f$, sicut sinus cōplementi arcus $m \angle f$ ad sinum complementi anguli quem subtendit $m \angle l \angle f$, & est ipse angulus $m \angle l \angle f$, 21, 4. Arcus $l \angle m$ inuenitur per primum Theor. Nam sinus anguli $m \angle l \angle f$

ad sinum arcus subtendentis $M\ F$, sicut sinus totus anguli recti ad sinum arcus $L\ M$, & est 34, 58, 32. Hæc est diuersitas aspectus in circulo altitudinis, secundæ obseruationi congruens. Arcus $L\ F$ inuenitur per primum Theor. Nam sinus anguli recti $L\ F$ ad sinum arcus subtendentis $M\ F$, & est 34, 58, 5. Cui si addatur arcus $N\ F$ in septimo triangulo inuentus scilicet 0, 32, 56, produceetur totus arcus $L\ N$, 35, 31, 1. diuersitas scilicet aspectus in circulo altitudinis, primæ obseruationi conueniens.

Tanta molis erat inuenire diuersitatem aspectus in Azimutho! Hoc est fundamentum omnium earum passionum, que de Cometa demonstrari possunt.

Caput quartum de distantia corporis Cometæ tum
ab oculo obseruatoris, tum à centro terræ.



EVS omnium creator, ut Ouid. primo Metamorphoseos canit:

Os homini sublime dedit, cælumq; videre


Iussit, & erexit ad sydera tollere vultus:

Prona cùm spectent animalia cetera terram.

Nulla certè res penitus nos vel in amorem vel cognitionem Dei perducere potest, quā supernarum rerum contemplatio. Quod & Sapiens testatur cap. 13. cùm inquit: A magnitudine speciei & creature cognoscibiliter potest Creatore videri. Eapropter ut ex hoc libello mirabilibus Dei operibus circa Cometam intellectis, quisquis feruentius Deum amet, ampliusq; Manifestatem eius agnoscat, non piguit me supputare distantiam eius tum ab oculo obseruatoris tum à centro terræ, magnitudinem etiam eius, aliasq; passiones. Accurato itaq; calculo inueni distantiam corporis Cometæ, ab oculo obseruatoris millia passuum continere 4686. Germanica autem milliaria (quorum singula quaternis constant millibus passuum) 1171. Distantiam vero eius à centro terræ complecti millia passuum 6140. Germanica autem milliaria 1535.

Demonstratio. Sit vt in secundo capite, circulus altitudinis (præ cuius magnitudine terra puncti instar est) A B C D, circulus terre subiectus huic, h. L, centrum terræ B, Diameter trænsiens per Zenith obseruatoris.

& centrum terræ sit A H E D, inque ea sit A vertex. H oculus obseruatoris, G sit locus Cometæ aëreus in prima obseruatione, per quem rectæ lineaæ ad circulum altitudinis traeiectæ sint, ab oculo quidē obseruatoris H G C, A centro autem terræ E L G B. Iam patuit B locum verum esse cometæ in circulo altitudinis, c autem visum. Arcum etiam b c diuersitatem aspectus primæ obseruationi congruam, esse 35,31,1. Porro ducatur ex centro terræ recta E K æquidistans lineaæ H G C. Et quia tota terra præ circulo altitudinis A B C puncti vicem habeat, arcus autem terrestris circuli, rectis H C, & E K conclusus maior est c K arcu, erit consequenter arcus c K omnino insensibilis. Arcus itaque K C B nihilo sensibili maior erit arcu c B id est 35,31,1. Postremò producatur c G H in partes H, & super eam ex centro E perpendicularis eiiciatur E O. Et quia in prima obseruatione complementum altitudinis cometæ angulus scilicet A H C fuit 85,0, erit etiam tatus, per 15, primi Euclid. angulus ei contrapositus O H E. Angulus O E H reliquo ad vnum rectum 5,0, vt rigitur semidiometer terræ H E est sinus totus scilicet 10000000. erit O E quidem 9961947, O H autem 871557. Vt autem semidiometer terræ est milliarium germanicorum 895 quadrantis (tantam demonstrauimus eam in nostro libello Theutonico de distantiis corporum cœlestium) erit O E 891 milliarium trium quadrantium, O H autem 78. Rursus in triangulo O G E, angulus O G E æqualis per 29 primi Eucli. suo coalterno B E K, est 35,31,1. Angulus itaque O E G reliquo ad vnum rectum, erit 54,28,59. Vtigitur E G est sinus totus, erit O E quidem 5809437. O G autem 8139437. Id propterea, vt O E milliarium est germanicorum 891 3. quadr. Erit E G distantia scilicet Cometæ à centro terræ 1535 milliarium, O G autem 1249 semis, à quibus si subtraxeris milliaria respondentia O H, 78, relinquentur millaria 1171 semis, distantia scilicet Cometæ ab oculo obseruatoris.




Caput quintum de magnitudine & corporis & crinum Cometæ.

Obser-

B S E R V A V I instrumēto quale subiectum est, primō totam Cometę longitudinem & corpus eius & crines complectentem, deinde solius Caudę: operatusq; Mathematico more, inueni totam illam Cometę longitudinē milliarium Germanicorum 184: solorum autem crinium 182, trium quadrantium. Quod si hanc crinium dimensionē à totius Cometę milliaribus subtraxeris, relinquetur visibilis eius diameter insensibiliter à vera differens, milliare Germ. vnū & quadrans. Ne cui hæc absurdā vanagā videantur, subieci demonstrationem. Quis enim nisi Mathematicus aut ab eo instructus, ut tantam molē in aëre pendere credat, adduci posse?

Demonstratio. Sit hasta instrumenti A B regula cometam totum subtēdens c d. Inueni obseruatione, hastæ longitudinem A B cōtinere dimidium regulæ, scilicet linea ē x b vigesies quater & 45 mi. Aggregauit ergo quadrato hastæ, quadratum dimidię regule, & inueni lōgitudinem linea ē A E parium 24, 46, 13, vt dimidium regulæ A B est vna. Vt igitur A C est sinus totus scilicet 10000000 erit c B 403709 arcus autem ei respondens & est quantitas anguli B A C, 2, 18, 49. Totus ergo angulus c A D corpus simul & crines Cometę subtendens 4, 37, 38. His ita constantibus, repetatur figura capitinis quarti. In qua omnia sint constituta ut suprà, nisi quod punctus N representet extremitatem caudę, ad quem ab oculo obseruatoris trahatur recta H N. Supponimus enim cum Ioanne de monte regio, linéam è centro mundi eiectam, per cétrum corporis cometici, medios crines penetrare. Nam licet res paulo aliter se habeat, tam non demonstrationem non impedit. Et quia angulus H G extrinsecus ut suprà ostensum fuit, continet 35, 31, 1. Intrinsecus autem angulus N H G totum Cometem concludēs 4, 37, 38, erit per 32 pri-



mi Eucli. reliquus intrinsecus angulus H N G 30, 53, 23. Ut igitur H G est sinus 5133872 erit G N 806725. Ut verò H G milliariū Germanicorum est 171 & dimidij, erit G N hoc est totus cometa 184 milliarium.

Alia obseruatione, qua regula quidem instrumenti solos obtegebat crines corpore excluso, hasta autem dimidium regulæ continebat vi gestes quater & 54 eius mi. simili tamē ratiocinatione inueni solorum crinium extensionem 182 . mill. & tres quadrantes continere. Hæc ab illa subtrahita relinquit diametrum visibilem, corporis cometici, millarij vnius & quadrantis Germanici.

Non omnibus spectatoribus æquali videtur magnitudine Cometæ sed ut cuique acrior est acies aut hebetior, ita maior minorve appareat, ut testis est Seneca cap. 1. libri sexti naturalium questionum. Equidem crediderim Cometam nemini se totum videndum exhibere.

Quapropter tibi persuadeas, Lector, oportet multo maiorem esse reuentra eum, quam calculus meus docet.

Caput sextum de declinatione & latitudine Cometæ: locis eius in ecliptica: diuersitate aspectus ibidem.



ECLINATIONEM Cometæ reperi ex prima obseruatione predicta Septentrionalem 26, 59, 51. Latitudinem vero eius Septentrionalem quoque 11, 20, 52. Locum vero in ecliptica 15, 36, 20, Leonis. Locum visum ibidem 18, 3, 34, Virginis. Locus verus subtractus ex visu relinquit diuersitatem aspectus in ecliptica 32, 27, 14. Horum demonstrationem subieci.

Demonstratio. Sit meridianus K F G horizon orientalis E D H, & qui noctialis B D L, Circulus altitudinis in quo est Cometæ F A E, In quo punctus A Cometam noret. Ecliptica sit K P H L, Ex punto A trahantur arcus orthogonaliter ad æquinoctialem quidem A Q B, qui erit declinatio Cometæ. Ad eclipticam autem A P, qui latitudinem eius signet. Ex eodem A trahatur arcus ad ortum æquinoctialem scilicet A D. Et quia hora obseruationis hoc est hora decimasexta, min. 8. diei 6 Octobris sol occupavit, 23, 11, 41. Libræ: culminauit, 23, 59, Geminis qui signatur per punctum K, ascedit autem punctus H, 25, 10, Virginis, Cu-

ius ascensio obliqua 172,
26 subtracta ex semicircu-
lo reliquum facit arcum D
1,6,34,20. His ita præstru-
ctis, quatuor triaguli sphæ-
rici sunt ordine cōsideran-
di, quorum anguli latera-
ue, ignota quibus theore-
matibus inueniri possint,
ostendisse sat habebimus.


Primi trianguli A E D,
Latus A E est 40,31,1. Con-
stat enim ex altitudine visi
Cometæ primæ obserua-
tionis scilicet 5,0. & diuer-
sitate asperetus in circulo
altitudinis eidē primæ ob-

seruationi congruenti scilicet 35,31,1. Arcus D E, distantia scilicet Azi-
muthi ab ortu æquinoctiali in prima obseruatione, 3,15,0. Angulus A E
D rectus, Arcus A D inuenitur per tertium Theor. & est 40,37,29. An-
gulus A D E inuenitur per primum Theor. & est 86,12,13. A quo si sub-
trahatur angulus B D E, id est complementum eleuationis poli Vien-
nensis, 42,0, reliquus erit angulus A D B, 44,12,13. Quia vero angulus
A D E maior est angulo B D E, necessariò declinabit Cometa ab æqui-
noctiali in septentrionem.

Secundi trianguli A B D, Arcus A D modò inuentus est 40,37,29.
Angulus A D B, 44,12,13. Angulus A B D rectus, Latus B A inuenitur
per primum Theor. & est declinatio Cometæ septentrionalis, scilicet
26,59,51. Arcus B D inuenitur per tertium Theor. & est 31,35,25. Is iun-
ctus arcui D 1,6,34,20. integrat arcum B D 1,38,9,45.

Tertiij trianguli Q B 1, Arcus B 1 (vt dudū ostēdimus) est 38,9,45. An-
gulus Q B 1 rectus. Angulus Q 1 B 23,30, maxima scilicet solaris decli-
natio. Angulus B Q 1 inuenitur per secundum Theor. Nam sinus to-
tus ad sinum anguli Q 1 B sicut sinus complementi arcus B 1, ad sinum
complementi anguli B Q 1 quem subtendit. Et est ipse angulus 71,43,
43. Arcus Q 1 inuenitur per primum Theor. & est 40,35,40. Is subtra-
ctus ex semicirculo ostendit gradum eclipticę qui cum Cometa vero
cœlum mediat scilicet 19,24,20. Leonis. Arcus quoque B Q inuenitur
per primum Theor. & est 15,2,18.

Quarti trianguli P A Q latus Q A est 11,57,33. quod patet subtracto
arcu B Q ex declinatione Cometæ B A. Angulus P Q A est 71,43,43: est



enim æqualis sibi cōtraposito angulo π quæ in tertio triangulo notū fecimus. Angulus α per hypothesim rectus. Arcus ρ id est latitudo Cometæ septentrionalis inuenitur per primum Theor. & est $11,20,52$. Arcus ν inuenitur per tertium Theor. & est $3,48,0$. Qui additus arcui π scilicet $40,35,40$. conficit arcum ρ $44,23,40$. Idem ex semicirculo subtractus relinquit 4 signa 15 gradus 36 min. 20 sec. Fuit ergo verus Cometæ locus in ecliptica ad tempus obseruationis primæ diei sexti Octobris 15 gradu 36 min. 20 sec. Leonis. Simili ratiocinatione vñi inuenimus locum vñi cometæ in ecliptica 18 grad. 3 min. 34 sec. Virginis. Locus denique verus à vñi subtractus, diuersitatem aspectus in ecliptica explicat, scilicet $32,27,14$.

Vides operæ preium esse, locum verum Cometæ quanquam magnō labore inquirere? Aliter enim plus uno signo erraretur.

Caput septimum de motu Cometæ diurno.

Verum constaret quantum ecliptice arcum Cometæ sub apparitionis sue initia, quibus significatio eius longè fortissima habetur, quotidie motu proprio (id est ab Occasu Ortu versus) peragraret, feci decimo die Octobris duas obseruationes. Priorem quidem hora 16 min. 37, sec. 30, & inueniebam distantiam Azimuthi ab ortu æquinoctiali versus meridiem grad. 3. min. 0. Altitudinem vero eius 6. 45. Alteram considerationem peregi hora 7 min. 32. & erat distantia azimuthi ab ortu æquinoctiali versus meridiem 14, 30. Altitudo vero super horizontem 18. 30. His iuxta tertij capit is doctrinam schemati aptatis, & octo eius triangulis sphericis accurate perlustratis, inueni diuersitatem aspectus in circulo altitudinis, prime considerationi congruentem 32, 57, 16. Deinde usus via quam sextum docet caput, reperi solem occupare 27, 27, 45. Librae, Cancri autem grad. 4. min. 58. culminare. Ascendere vero Librae grad. 3. min. 35. Porro declinatio Cometæ septentrionalis inuenta est parum differre ab ea que suprà cap. 6. reperta fuit. Latitudo vero longe alia inuenta est. Nam inueni eam 14, 46, 8. Cum sexto die esset 11, 20, 52. Differentia ergo earum est 3, 25, 16. Locum Cometæ in ecliptica verum inueni 26, 17, 5. Leonis. Cum vero in sexti diei prima obseruatione fuerit in 15, 36, 20. Leonis, patet eum tempore duabus illis obser-

nationibus intermedio, scilicet diebus 4 hor. 0 min. 29 sec. 30 dimotum esse grad. 10, 40, 45. Hoc motu in tempus distributo, conuenient vni diei grad. 2. min. 39 secund. 21. Hac re consequens est Cometam in principio sue apparitionis Cancrum tenuisse. Quandoquidem circiter S. Ruperti diem nonnulli visum affirmant. Quo sit ut adducar eum illo ipso die effulxisse quo imperatoria simul & regia maiestates Viennam venerut. Evidem non facile dixerim, ut Aristotelii visum est, Cometas ex fulmea materia aut exhalatione fieri. Qui enim tanta moles, si elementaris esset, tot tamq; diversis motibus diuexata, no disparetur? totq; dies durare aut certe eandem nobis ostendere reformam figuramq; sufficeret? Neg, crediderim, id quod Seneca placuisse intelligo, eos inter aeterna esse caelestiaq; corpora. Multa sunt aliae, praeter eas quas Aristoteles attulit, cause, quas prudens nunc dissimulo. Magis arridet Damasceni sententia, Cometam diuinum esse, non etiam naturae opus, quo tanquam signo Deus omnipotens nos moneat. Ergo si quamala bonaue Cometam sequuntur, illorum non causa efficiens, sed signum Damasceno fuis se putatur.

Caput octauum de eo quod Cometa portendit.

V A N V I S de Cometa sine effectu sine significacione, alios audire quam ipse differere mallem, quia tamen mearum partium esse videtur in medium aliquid proferre, placuit pauca pro ingenij mei tenuitate, sub doctiorum censura, de eare conscribere. Cometa iste adeo sub ipsum aduentum Augustissimum nostrorum Casarum Caroli & Ferdinandum in suam Viennam aduentum apparuit, cum seuissimus iste & impudentissimus hostis, qui ore hianci Austriae se iamiam absorpturum putabat, quiq; illud verisimum quidem, sed aliter atque ipse credit, casurum, ore subinde versabat, vnum oportere esse terrae dominum: turpissem fugeret, scilicet non audens fortissimis Germanis, Bohemis, Hungarisi, Hispanis, & Italib; congregari. In solos pueros, mulierculas, aliosq; imbelles ac etiam res sen-

superioritas fortis. Cometa iste apparuit in plaga Orientali, habens & latitudinem & declinationem Septentrionalem. Locus eius verus, quando mihi quidem apparuit, fuit Leo, que cum Virgine, Libra, &c. perambulauit: in principio tamen sue ex radijs solaribus emersionis Cædruum sine dubio tenuit. Motus tendebatur ab Occidente in Ortum, ut supra demonstrauimus. Cauda porrigebatur in Meridiem. Ex his altisq[ue] diligentius pensatis colligere licet, appropinquasse iam tempus illud à dno Ioanne in Apocalypsi predictum, quo meretrix ista Babylon de sanguine sanctorum & martyrum Iesu ebria, omnis blasphemie plena, cadet. Cum qua multi Reges terræ & mercatores fornicati sunt. Cadet, inquam, horribili interitu, qualem Angelus lapide molari in sublime sublato & in mare precipitato, Ioanni significavit. Sed audiamus quid dicat scriptura. Flebunt, inquit, illam, & plangent se super ea Reges terræ, qui cum illa scortati sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendij eius, longestantes propter timorem tormenti eius. Et negotiatores terræ flent & lugent super illa, quoniam merces eorum nemo emit amplius. Caeuant ergo Principes terræ, & mercatores ne quando cum hac meretrice fornicentur, aut si scortati sunt, ea desertas potius Aquile electæ, iuste, omnia victuræ, assident legitimo pioq[ue] fæderis vinculo ad apocalypticam meretricem subuentem. Nemini profecto dubium esse poterit, nostros Cæsares Babylonem istam excisuros esse, si considerauerit prouidentiam Dei, cui sit laus & gloria. Qui duo ingentia capita ijsdem prope temporibus suscitauit, Africam scilicet domum, & Othomannorum Turciam familiam, hoc est meretricem Babylonem. Illa ex paruis primordijs, comitatu nepe Habsburgensi per omnem Germaniam, magnam partem Italiae, Hispanias, Hungariam, Bohemiam, Croatiam, litora Africæ, Insulas mediterranei maris potentissimas, innumeras Oceanii insulas, terras etiam nouas, maioribusq[ue] nostris inauditæ suam dominationem extendit. Id quidem iure nuptiali & hereditario, iustisq[ue] electionibus. Hæc tenui quoque principio, ut historiæ habent, paribus propè cum Africâ domo interuallis, per omnem Asiam minorem, Thraciam, Macedonia, Epirum, utrunque Mysiam, nostra etiam etate omnem AEGyptum, Palestinam, Syriam, & (proh dolor!) Rhodum, ferro, igni proditionibusq[ue] suam tyrannidem dilatauit. Illa fidem Christi contra

Apophthegma
Friderici
imperato
ris, quod
quinque
vocalibus
significa
re sole
bat, A, E,
I, O, V.

internos pariter & externos hostes fortissime tutata est. Hac contra crudelissime impugnauit. Illa omnis pietatis & honestatis studiosa. Hec omnis sceleris & turpitudinis fædissima sentina. Illa literarum amatrix. Hec hostis. Hec templorum & publicorum gymnasiorum fundatrix. Hec deuastatrix. Cum ergo horum tam diuersorum inter se caputum imperia, iam nunc facta sint confinia: quis dubitet nostros Cæsares, diuino numine conjecturos esse spuriissimam istam meretricem Babylonem? Bis antè occidens congressus est cum oriente: bis occidens orientem vicit. Prius Iulij Cæsar, deinde Augusti Cæsar's auspiciis. Quod ut nostra quoq[ue] etate, sicut fatale est, ita maturius fiat, omnis generis Christiani pro viribus adiuuare debent, prudens consilio, fortis manu, diues opibus, imbecillis piis orationibus. Nemo vero princepsue mercatorue cum meretrice ista se commisceat, ne in lucum illum Apocalypticum cadat.

F I N I S.

QVÆ SEQVVNTVR, AVTOR,
edito iam libro, sic legi maluit.

Pag. 32. ver. 12. à patria suo saltem indicio non auertere, &c.

Pag. 54. ver. 12. post verbum Dicitur, adde ista: Noteintur quæsto dili-
genter verba illa, quod disertè dicat, nouam stellam, & aliam, scilicet
ab illis quæ in firmamento initio orbis conditi à Deo erant creatæ. Co-
metem per ea verba non intellexit. Non enim dixisset nouam stellam,
sed vel simpliciter cometem, vel differentiæ causa adiunxit et cœnitam.
Nisi quis dicere velit ipsi signatos fuisse cometas.

Pag. 70. ver. 6. post verbum Adde, legantur ista, Aut illud dimidium
de maxima phænomeni altitudine detrahe. Hoc enim quod relinqu-
tur, si æquale, &c.

Pag. 104. ver. 15. lege Fortassis ab austro eò ad regnum, &c.

. A J U S T I S A V O M R U

INDEX CAPITVM DIALEXEOS

de noua stella D.Thaddæi Hagecij ab Hayck.

- Historia stellæ nouæ, apparentis
in asterismo Cassiopeæ. Cap. i.
pag. 12
- Recitatür variæ opinioneſ de hac
ſtella, eademque diluuntur.
cap. 2. pag. 21
- Quod hec ſtella penitus noua, &
præter naturæ ordinem in ethere
re poſita ſit. cap. 3. pag. 43
- Quod cometæ & ſtellaſ ſecundæ
tam in ætherea quām elemen-
tari regione generari poſſint.
cap. 4. pag. 46
- Quod modernum noſtrum ſyduſ
non ſit affigendum ſublunari
mundo & cometarum regio-
ni, ſed ipſi cœlo, Astronomicæ
probationes. cap. 5. pag. 59
- Quomodo ex duabus meridianis
altitudinibus explorari potuif-
ſet modernæ ſtelle parallaxis.
cap. 6. pag. 63
- Quomodo inueniatur parallaxis
& diſtantia à centro terræ eo-
rum phænomenū, quæ ali-
quandiu conſiſtunt, nec proti-
nus euaneſcunt, & ſupra hori-
zontem apparent, nec ſubdu-
cuntur. cap. 7. pag. 67
- Explicatio tabellæ parallaxeos.
pag. 73
- Tabella parallaxeos. pag. 77
- Quomodo inueniantur paralla-
xes & diſtantia à centro terra
eorum phænomenū, quæ
ſubeunt horizontem, & ſupra
eundem attolluntur. cap. 9.
pag. 79.
- Quomodo inueniatur declinatio
cuiuscunq; phænomeni, in-
de que vera latitudo, & verus il-
lius locus in zodiaco. cap. 10.
pag. 83
- Quomodo verus locus nouę ſtel-
lae in zodiaco ſecundum longi-
tudinem & latitudinem inue-
niatur. cap. 11. pag. 86
- Locum ſtelle nouę verum ſecun-
dum longitudinem, & latitudi-
nem alia via quām præcedens
caput docuit inuenire. cap. 12.
pag. 89.
- Quomodo eadem longitudo &
latitudo nouę ſtelle inueniatur
ex illius ad vicinas ſibi ſtellas di-
ſtantia, & ex illarum præcogniti
longitudine & latitudine.
cap. 13.
- De ſignificationibus noui ſyderis.
cap. 14. pag. 91
- Quid piè de hac ſtella dici poſſit,
de utilitate inspectionis oſte-
torum. cap. 15. pag. 94
- Appendix contra Raymundum
& Theodorum Graminæum.
pag. 106

F I N I S.



CORNELIUS GEMMA MEDICINÆ PROFESSOR APPV D LOUANIENSIS, Thaddæo Hagecio ab Hayck, Aulæ Cæsareæ Maiestat. Medico, S. D.

SE MEL iterumq; scriptas ad me misisti literas de theoria syderis noui: quarum utrasque accepi, vir clarissime, plenas profectò candoris, & summæ benevolentia erga me tuæ: eius vero doctrinæ, grauitatis atque elegantiæ, ut cum meipsum intueor, mihi inde magis magisq; displicere incipiam, pudeatq; summopere illud crudum adeo & inconditum venisse in manus vestras: etiam à D. Fabricio tantæ obseruationis atque iudicij viro, inter $\Delta\lambda\mu\nu\sigma\tau\epsilon\zeta$ alias ad vnguem penitus explorari. Cum enim id prius effunderem, nescio quis me velut correptum subito perculit furor, etsi non tam ex afferenda veritatis certa fiducia, quam tentandi studio atq; ardore inextricabili, quo pariter seruirem animo meo, eademq; opera peritiores cæteros ad huius spectaculi pulchritudinem admirandam velut à somno altissimo ocyus excitarem. Neq; velim hanc nostri in respondendo officij moram meæ vel negligentia tribuas, vel rusticitati ingenij, velut in agnoscendis benemeritis tardi, ab excollens amicitiis alieni. Noui te dudum ex viuis monumentis

Y

industriæ tuæ, & semper colui atq; amavi supra quām dici pos sit: præclarum illud opusculum abste dono datum (μετα ποσκοπίδιν intelligo) etiā inter xeiμήλια collocaui: fueramq; iam dudum pro mea virili gratiam relatus, si tanta locorum intercapedine cuiquam certo ad perferendum committere potuissem. Nunc etiam longè alia res accessit, quam te nō quidem cælare volui, quem interiorem habeam ipsomet animo meo. Sed eousq; differre decreuerāne rescires, prius quām amoris erga te mei ratio & magnitudo ad sensus tuos meliore paulo quām literarum officio permanaret. Nunc verò ubi secundas à te perlegi, ardenter sum hoc pectus meum amplius non contineo, quin prius efficiam ut intelligas, quām cogitatione præceperim. Sunt & serius mihi reditæ literæ tuæ, quas scripseras prius. Venerunt etenim ad manus Februario mēse, quas te scripsisse video Nouembri præteriti decimæ sexta: sic tamen ut nihil gratius atque iucundius, nihil ipso tempore opportunius venire potuerit. Nam tunc in eadem commentatione versabar, quod scriptum est prius sub incudem reuocans, imò sic prorsus amplificans, ut non modo in multos quaterniones excreuerit, verum in volumen integrum: quemadmodum ex angusto atchotypo plerumq; ædificantibus solet. Inscrabitur uniuersim de Naturæ diuinis characterismis, seu raris & admirabiles spectaculis in uniuerso. Distinxii duobus tomis: prior generalem præagiendi methodum tradit, ex iis quæ præter communem Naturæ cursum diuinitus offeruntur, cum tota ætiologia proprietatis occultæ in rebus singulis, monstrorum, prodigiorum, insomniorum, &c. Alter comme-

morationem Philosophicam habet portentorum omnium,
quæ Belgicæ terræ ac locis finitimiis acciderūt ab anno 1555,
usque in hanc etatem, cum explicacione uberrima syderis
noi, consensuq; totius in rebus humanis cum cœlestibus ac
diuinis. Adieci & rariores aliquot casus artis medicæ cu
m uniuersa curatione ad instar illius methodi quæ à nobis a
liis exarata est. Itaq; cùm nihil amplius expectarem quām
ut hoc opus ad partum stimulās expolitus paulò daretur in
lucem, ac velut lambendo maturesceret: certè quo sum pro
gressus longius, eo & facilius quantum ingenio meo operisq;
maturitati defuerit, intellexi: atque ut paulatim minores
umbras Sol impendens vertici facit, magis me quoque su
spesum & timidum reddidit obseruatio vestra, quam cum
scriptis meis contuli diligenter. Quâ gressum extuleram,
repeto, & vestigia retro obseruata sequor, nihil hic tribu
ens nimium vel sensui vel iudicio meo: imò quām maximè
corrigendo singula, velut amissim quandam mihi proposui
coꝝ tñpñow tuam: quippe quam non nisi summa industria
firmam, aliorumq; plurium, sed in primis D. Pauli Fabri
tij diligentia consignatam maximè venerabar. Evidem,
ut ingenuè fatear, in plerisque me nō parum hallucinatum
esse deprehendi, ipsoq; publico scripto quid vobis debeatur
testatum volui. Neque id sp̄ero ægrius te laturum, et si eo
candore erga me sis usus, qui nullam (quam poteras iure ac
merito tuo) licentiam absque consensu meo, in partus meas
tibi vendicare volueris. Tantum tribui doctrinæ integri
tatiq; tuae, ut si quæruditer à me ac per abortum exclusa
fuerint, mihi te suscepere perfecta & multū exornata

persuaserim. Ideoq; & hoc cōcedes amori meo, quòd eodem
in opere nullam à te veniam deprecatus, obseruata tua cum
meis contulerim: neque enim s̄pero dedecori vobis vel im-
pedimento fore, quo minus quod decreuisti, per agas fæliciter,
tuamq; hac de resententiam & aliorum in lucem pro-
feras: quando pro rei tractandæ magnificētia vix illa sunt
unquam ingenia responsura: & si quisquam est, à quo ex-
pectem eiusmodi (absit precor adulatioñis suspicio verbis
meis) unum te profecto (prout leonem ex unguibus) velut
lychnuchum & antesignanum accipio atque complector
animo meo. Nec è vanaratione adducor ut credam, vñ
hoc etenim potest qui (quod in te video) præter amorem
& studium indefessum, naturalium rerum cognitioni Ma-
thematica pariter & diuina coniunxit. Opus nostrum Pla-
tino misimus dudum, vix tamen proditurum existimo an-
te æquinoctium autumnale. Quòd si interea fragmentum
illud antiquum posterioris editionis (id enim duobus folijs
constat) vñstro volumini voles adjungi, erit quòd iure gal-
deam & gratuler maximopere mihi met ipsi, qui beneficio
tuo locum in tam celebrium virorū classe repererim. Quic-
quid autem inter nos controuersia est (quod sanè exiguum
video) nullam arti contumeliam faciet, postquam & tibi
concedam in pluribus, & memet ipsum repetitis iam sape
multarum obseruationum vicibus castigarim. Proinde fa-
cito pro iure tuo, atque ut consultum bono publico cogita-
bis. Nam & ego eadem libertate epistolam tuam ad calcem
operis coaptavi, præuertere cupiens aliquo pacto studium
singulare erga me tuum, quo me describis non qualem vir-

deris, sed pro amoris magnitudine dudum suscepereis in animum tuum, τυφλότα τὸ φιλοῦν τεῖχος φιλεύματος.
Pro quo tamē immortales habeo gratias, recognitus non
pro merito tuo, sed pro virili mea, & quoties occasio feret.
Scriberem plura: sed opus esse non puto, si quod præmani-
bus est patienter expectes. Venit in manus meas libellus Hi-
spanicus, quem & Hispanus commodato dedit. Author
est Hieronymus Munnoꝝ, qui certè & doctè & copiose
admodum de eodem prodigio scripsit. Illius dimensiones in-
ter ea, quæ à nobis sunt annotata, perpetuam quodammodo
fortiuntur differentiam, accedunt proprius tuis: ambo
tamen ab eius calculo in scrupulorum aliquot ratione defi-
cimus. Et sanè in minutis pauculis lapsus est facillimus, ut
ipse nosti. Idem porro demonstratione efficacissima docet
huic syderi nouo nullam fuisse penitus parallaxim: sed sem-
per immotum permansisse in cælesti regione ac supra Solem.
Et tamen (quod maximè mirum est) Cometam facit, sta-
tuens ex opinione Democriti, huius generationem perpe-
tuò fieri in orbe cælesti: ideoq; & cœlum ipsum mutabile.
Quod adiunctis authorum sententiis, & varia ratione con-
firmat, quam vera aut solida, aliorum esto iudicium. Con-
traxi illius quoque traditionem in compendium, facturus
obiter mentionem fortassis in opere meo. De hisce tabulis
& chartis, quæ mitti postulas, curabo ut quam citissime
comparentur: nam propediem profecturus Antuerpiam,
diligenter exquiram singula, ac vel primo nuntio curabo
ut veniant in manus tuas, vel mittentur cum opere nostro,
si breui exierit. Nam & D. Cratoni clarissimo viro, no-

striq; studiosissimo, iam dudum id vovi toto pectore. At qui hoc certum habe, et si (ut tecum ille vel maximè volueret) in Cæsar. Maiest. gratiam ad vos pro rerum meorum statu, venire non potuerim: habitat tamen vobiscum hic animus meus, studiorum communione dulcissima, atque ob singularem benevolentiam vestram amore deinceps in diuiduo copulatus. Quare & hunc ex D. Fabritium de me ac Repub. literaria optimè meritos, salutes nomine meo etiam te atque etiam rogo.

Bene vale, vir longè doctissime, scriptumq; hoc concitatus per negotia, etiam fortasse prolixius, consulas boni.
19. Iulij 1574 Louanij.



DOCTORI THADDÆO AB
Hayck, Cæsareæ aulæ Medico, Paulus Fa-
britius. S. D.

NON possum non probare studium tuum,
quo stellæ istius nouæ omnes circumstan-
tias tanta diligentia sectaris, omniumque
sententias ac iudicia cognoscis. Quod verò
præterea multorum obseruationes ac iudi-
cia, ita ut ab ipsis sunt scripta, edis, & aliorū
quoque censuræ subijcis, candorem tuum
apprimè declaras. Velle meū scriptum omisisses, tum quòd
in medio ferè statu crudelissimæ febris scriptum, non potuit
esse quale debuit, tum quòd stella recens admodum adhuc
fuerit. Recentem dico, quia integro adhuc anno postea lu-
xit: circa Ianuarium enim 1574 anni adhuc non nihil po-
terat conspici, postea disparuit: quod accurate obseruauit. Et
cùm vnâ de significationibus huius non omnino non essem
anxious, audiui etiam vulgares multos ominari, hanc exem-
plis rarís omnia designare iam à natura attributa. Verùm hæc
ad DEI iudicium pertinent: nostrum est DEM metue-
re, precari, & ex præscripto ipsius vivere, vt officium no-
strum non neglexisse videamur. Non autem satis possum mi-
rari usque adeo vilem haberi huius stellæ apparitionem, ita e-
tiam vt aliqui non crederent esse nouam. Si non fuit, quomo-
do disparuit? atqui visa est aliquanto tempore. Deinceps quis
nō ad stuporem usque miretur hanc obliuione ex hominum
memoria ita evanuisse, vt è cœlo disparuit? Tibi tamen, quia
pro iure amicitiae nostræ tibi hoc vendicasti, vt infereres tuo
volumini meum scriptum, non obliuctor, eam conditionem

A 1764513

176

E P I S T O L A.

attexens, ut amici sortem subeas apud censores, qui nostro seculo plerique maligni, omnes ferè iniqui sunt: quique quæ mea tunc cùm illud scriberem, negotia fuerint (ut vitam propriorum deploratam taceam) nesciunt. Addidisse aliquæ si scissim te, dum hoc tempore in patria absfui, ad Typographum exemplar missurum. Hanc ego stellam notham voco, quia ad ea respicio quæ in cœlo naturæ primitio ordine constante, vel etiam consuetudine quadam interdum, præter naturæ modum in meteoris repente apparent. Si exemplar non est in officina ad calcem perfectum, posses nostras observationes, quas cōmuniter impendimus syzygiæ Saturni & Martis apud lucidam in corde Scorpij (scis quam accurate & sedulo laborauimus) adiungere. Fortè & alios excitabimus, & aliorum conatus iuuabimus. De obseruatorio instrumento illo nouo, & eo non modò ad usum expedito, sed ad rei quoq; veritatem exacto, ita labore studiose, vt si Iuppiter ille antiquus viuat, magis me quam suos Cyclopas impugnaturos olim cælum metuat. Hoc tibi de me optime Doctor Thaddæe persuadeas velim. Nunc te valere iubeo.

F I N I S.